


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

2995
f. 24



George Cornewall Lewis.

2995 f. 24





George Cornewall Lewis

Edinburgh Sept. 3.

1822 —

ZAEHNSDORF BINDER



George Cornewall Lewis

2995 f. 24

George Cornewall Lewis
Edinburgh Sept. 3.
1822 —

EX

TENTAMINIBUS METRICIS

PUERORUM

IN

SCHOLA REGIA EDINENSI

PROVECTIORUM

ELECTA,

ANNO MDCCCXII.

Hei mihi! quod nostro parvus in ore sonus.
Sed tamen exiguo quodcunque e pectore rivi
Fluxerit, hoc patriæ serviat omne meæ.

PROP. IV. 1. 58.

EDINBURGI:

APUD GUL. BLACKWOOD: LONDINI, APUD J. MURRAY, ET R. BALDWIN.

1812.


BODLEIAN
D
16 SEP 1954
LIBRARY

VIRO REVERENDO,

JOSEPHO GOODALL, S. T. P.

COLLEGII REGALIS ETONENSIS

PRÆPOSITO;

CUJUS SUB AUSPICIIS,

SUMMO CUM INGENIO ET HUMANITATE

SCHOLAM ETONÆ FLORENTISSIMAM REGENTIS,

VERSUUM LATINORUM DISCIPLINÆ TRADENDÆ

ARTEM HAUSIT,

QUANTUMQUE EJUSMODI EXERCITATIO VALEAT

AD ACUENDOS PUERORUM ANIMOS

PERSPEXIT,

HASCE DE INSITIONE EJUSDEM DOCTRINÆ

IN SEMINARIO NOSTRO

PRIMITIAS,

GRATA ET MEMORI MENTE,

D. D. D.

JACOBUS PILLANS.

AD LECTOREM.

HÆC carmina, qualiacunque sint, a pueris quorum nomina subjiciuntur reverà fuisse scripta, jampridem compertum habui. Nihil in eis præceptoris est, nisi perpaucæ emendationes verborum et syllabarum, quæ omnino in tali re fieri solent. Scriptorum unus tantum quindecim annos implevit: reliqui fere omnes annum decimum quartum ætatis agunt. Haud amplius septendecim menses effluxere, ex quo elementa versus faciendi primis labris attigerunt. Neque omnibus alumnis hanc exercitationem proposui; ab iis tantum expectavi, qui condiscipulos celeritate ingenii prævertentes, novum aliquod doctrinæ curriculum sibi poscere videbantur.

Non igitur ob hoc in publicum prodeunt, ut cum exquisitioribus in scholis Anglicis versibus confectis

comparentur, ubi pueri a teneris unguibus usque ad decimum septimum annum in his studiis versantur; sed partim, ut experimenti in disciplinâ publicâ exitus cum civibus communicetur, partim ut, quantum in me est, deleatur ista macula, quæ penitus jam insedit atque inveteravit in Scotorum nomine: quod ii, qui, de scientia et philosophia optime meruerunt, literis humanioribus minus imbuti sunt, et præsertim in prosodia quotidie titubant.

Nec mihi injucundum erit, hoc extremo et inusitato honoris præmio afficere, atque ita ad majora accendere, pueros ingenuos, qui honestis tantùm stimulis exciti, et, 'præter laudem, nullius avari,' se huic studio dediderunt, et, nullâ parte disciplinæ tralaticiæ neglectâ, hæc insuper, subsecivi temporis opera, elaborârunt.

Mihi quoque persuasum est, non sine oblectatione quâdam hocce opusculum lecturos esse illos, quos vim et naturam animi eo tempore intueri juvat, quo dotes ejus incrementa sumere inceperint; et simul observare, quam sensim in eodem exercitationis genere indies proficiant. Et quo magis ad hos fructus percipiendos via pateat, plurium de eâdem re versiculos subjeci, ætatem cujusque notavi, et rerum ordinem ita disposui, ut

series continua versuum, ab Idibus Octobris anni præteriti, usque ad Nonas Quintiles vertentis exhibeatur.

Hoc tantum Lectorem monendum velim,—ne mira forte videatur ista similitudo et quasi cognatio inter se exercitationum diversorum puerorum de eodem scribentium,—me, quotiescunque materiam sive thema versuum proposuerim, quosdam locos communes suggessisse, et summa rerum fastigia leviter, et vivâ illâ, ut dicitur, voce attigisse. Hoc tamen, ni fallor, non impedivit quo minùs variis puerorum ingeniis amplum ad se indicanda spatium patuerit.

J. P.

TABULA.

TENTAMINA METRICA.

CERTAMEN EQUORUM.

I.

Expectata dies oritur; lætæque catervæ
  Undique conveniunt, nota repletur humus:
Hìc tabulatis et domibus pars magna videtur,
  Vectaque pars curru spernere vulgus amat.
Proveniunt equites longè certare parati,
  Et Viridis, Flavus, Cæruleusque nitent.
Inde ubi tympana rauca sonum dant, finibus omnes,
  Haud mora, præcipites prosiluere suis.
Primus abit Flavus, parvo spatioque relicto,
  Cæruleus sequitur, corripiuntque solum.
Nunc postremus adest, et calcem calce premebat
  Incumbens humero:—præteriitque modo:

Ingeminat clamor: Viridis ruit ocior Euro,
  Elapsusque prior limina prima tenet.
Post subit a tergo, nunc Cæruleumque relinquit
  Flavus; jamque omnes præmia justa ferunt.

GULIELMUS MENZIES, *Ætat.* 14.

II.

VISURÆ currunt turbæ certamen equorum,
  Agmine jam longo litora nota petunt.
Corripiunt campum citò currus axe calenti,
  Quadrijugis rapidis turba recedit equis.
Certatim aurigæ pendent in verbera proni,
  Et manibus laxis frena lupata tenent.
In certamen equi apparent cursusque parati,
  Intentique omnes ore silente sedent.
Ascendunt equites substrictaque lora prehendunt,
  Splendore et vario tegmina sole nitent.
Inde ubi rauca sonum manifestum tympana reddunt,
  Prosiluere omnes finibus absque morâ.
Optatam cursu tendunt contingere metam:
  Jamque omnes alios præterit unus equus,
Et nunc alter abit: cuncti superare priorem
  Tendunt connixi, primus at ille manet.
Tum plausu et vario strepitu sonat omnis arena,
  Et victor lætus præmia digna refert.

JOANNES CAMPBELL, *Ætat.* 14.

ORPHEUS.

——*vocalem temerè insecutæ*
Orphea silvæ. HOR.

I.

ORPHEU, Hæmo viridi qui cantus reddere dulces,
Fecisti toties consona fila lyræ;
Te dicam accepto vocali ab Apolline cantu,
Qui septem nervis es citharâque potens:
Tu, celebris vates, meliori digne Camenâ,
Accipe quæ scribo, mente volente, tibi.
Auritas tecum potuisti ducere quercus,
Montana et blandâ saxa movere lyrâ.
Te tigres sævique leones dulce canentem
Mirati, et fugiens restitit agna lupum;
Nec meminere amnes altum se volvere in æquor,
Ponebant Euri, terribilesque Noti.
Ipse triceps atras demisit Cerberus aures,
Ac stupuere sonos Tartara mæsta lyræ:
Intorti Eumenidum recreati crinibus angues,
Ixionque miser constitit ipse rotâ;
Sisyphus in montem nec saxum immane revolvit,
Et Danao natis amphora sicca stetit.
Quin et Dis sævus, nigri dominator Averni,
Eurydicen luci reddidit atque viro.

JO. CAMPBELL.

II.

Monte lyram tetigit resonantem musicus Orpheus
Hæmo, cui semper culmina tecta nive.
Sub pedibus versu victi cubuêre leones,
Et prædam sævæ deseruere tigres:
Glandiferæ quercus captantur carmine blando,
Et lætè sequitur frondea silva fides;
Flumina verterunt cursus hâc voce retenta,
Alveo et in medio limpida sistit aqua.
Attonitus clausitque triformis Cerberus ora,
Orpheaque infernas sivit adire domos;
Ast Plutoni etiam potuit suadere superbo,
Et redit Eurydice jam repetita viro.

Daniel Keyt Sandford, *Ætat.* 14.

III.

Suaviloquas Orpheus chordas modulatus in alto
Hæmo, cantabat carmina culta lyrâ.
Hic rabidas tigres domuit, sævosque leones,
Et movit dulci concava saxa sono.
Hic celeres ventos, lapsus rapidosque moratus
Rivorum, quercus egit et arte patris.
Uxore Eurydice serpentis dente necatâ,
Ad tenebras Orci mæstus amator abit.
Divinis numeris stupet illic bellua furva,
Aures demittit, nunc et adire sinit.

Obstupuere umbræ, Pluto concedit amatam,
Si non respiciat: lex ea certa datur.
Ast is amore amens incautus respicit; illa
In ventos abiit, nec remanere potest.
Hoc cecinit mendax vates quòd depulit heros
Victu a fœdo homines, cædibus atque feris.

GUL. MENZIES.

ARGONAUTÆ.

Aureaque Æsonio terga petita duci. OV.

I.

QUÆNAM terra potest primam nescire carinam,
Semideos reges, Æsoniumque ducem.
Vela dabant vento, linquebant littus iniquum,
Et cursum medio jam tenuere mari.
A lævâ fuerat Vulcania Lemnos et Imbros,
Fertilis et Lesbos Trojaque dextra fuit.
Sulcatur pontus lapsâ famosus ab Helle,
Peliacamque ratem sæva Propontis habet.
Admoniti Phineo, tutè currentia saxa
Idaliâ volucri præteriere duce.
Frigida nunc lustrant Euxini littora ponti,
Orbis salsa duas cui lavat unda plagas.

Pervenit Æsonides optatam ad Colchidis oram
  Tandem, atque impavidus multa pericla subit.
Ut videt Æetis, torquetur pectus amore,
  Adjuvat in curis, auxilioque levat.
Hujus ope, æripedes spirantes naribus ignem
  Tauros compellit subdere colla jugo.
Herbis exsomnem cantatis illa soporat
  Anguem; sic victus decidit ense viri.
Protinus armati saliunt de dentibus anguis,
  Qui mortem intentant, exitiumque duci.
At jubet in medios mulier jactare lapillum,
  Quod simul ac factum, vir secat ense virum;
Occupat ingentûm tunc præmia digna laborum,
  Auro fulgentis nobile vellus ovis,
Et redit ad patriam sociis comitantibus urbem,
  Nec cantûs magici callida Phasis abest.

Jo. Campbell.

II.

Quis primamque ratem non nôrit, et aurea terga,
  Atque Argûs nautas Æsoniumque ducem?
Peliaco Pinus super alto vertice cæsa,
  Divinâ structa est Palladis arte ratis.
Certatim heroes properant conscendere navem,
  Et spernit patrium picta carina nemus.

Longum post tempus, cum sol confecerat orbem
   Haud semel, et longi præteriere dies;
Æquor per tumidum concurrere saxa videntur,
   Atque iterum simili sæpe redire viâ.
Remigio tandem fessus dux Colchon inivit;
   Phasidos atque trucis pectora versat amor.
Quis non obstupeat? tauris spirantibus ignes
   Inviolatus arat Bellipotentis agrum.
Exsomnem magicâ blanditur ab arte Draconem,
   Torsit et in durum tela cruenta latus.
Enecat, et rabido dentes dux traxit ab ore,
   Et serit in rigidis semina Martis agris.
En! homines veniunt armati e semine sparso,
   Vix latere et tecto Phasidis arte fugit.
Vellere sic fulvo rapto lætaris, Iason,
   Conscendisque ratem jam rediture domum.

GUL. MENZIES.

III.

IRE per oceanum fallacem fortis Iason,
   Insolitum puppi pergere tentat iter:
Alcides, Theseus, Telamon, cum Castore Pollux,
   Atque alii multi vellera flava petunt,—
Heroes ausi magnum; quis crederet unquam
   Æquoreas hominem carpere posse vias?

Peliacam pinum ascendunt, et littora linquunt;
  Cogitur affines linquere quisque dolens.
Insolitum monstrum mirari saxa videntur,
  Undaque sub magno pondere pressa gemit.
Ægeum tranant, "crebris freta consita terris,"
  Et pontum qui Helles funere notus erat.
Euxinum pelagus subiere, et Colchida spectant,
  Et tandem in sicco littore membra locant.
Accipit urbanè juvenes Æeta vigentes,
  Et lætè externos in sua tecta vocat.
Æsonides audax est captus amore Medeæ,
  Illa fovet flammas, illicitasque faces.
Herbis adjuvit vigilem sopire draconem,
  Compulit et tauros subdere colla jugo.
Armatique homines, serpentis dente creati,
  Ante suos oculos, arte juvante, cadunt.
Aurea terga rapit, rursum se credidit Euris,
  Et rate victrici littora nota petit.

EBENEZER PINKERTON, *Ætat.* 13.

ADVENTUS BRUMÆ.

I.

JAM nunc maturi cecidere ex arbore fructus,
Soleque cocta diu spica resecta fuit.
Decidit et folium, nudus termesque relictus,
Albicat et gramen molle repentè gelu.
Oceano nimium properant se tingere soles;
Majorem noctem Cynthia dia regit;
Imbribus et densis, et multâ grandine nimbi,
Culminibus crepitant, flabraque rauca sonant.
Lanigerumque pecus non jam lætatur in arvis,
Atqui rura fugit, jam stabulisque manet;
Ex agris cedunt homines ac tecta requirunt,
Et terras verrunt flamina sæva poli.
O felix, cui munda domus; foculumque replere
Carbone ardente, fusticulisque datur.
Fortunatior ille, juvant quemcunque libelli,
Quique legendo potest igne calente frui.
Ter quater at certè felix qui præbet egeno
Quæ sibi congessit, pauperiemque levat.

GUL. MENZIES.

II.

Fugit nunc æstas, fugerunt tempora læta,
Fugit et Autumnus, frugiferique dies.
Amplius haud resonat sinuosâ fistula valle,
Nec pedibus lætis tundit agrestis humum:
Amplius haud pastor, "recubans sub tegmine fagi,"
Silvestri teneras carmine mulcet oves;
Nec virides lætis flavescunt messibus agri,
Nec madidis pratis florea serta nitent.
Inversum sævus fœdavit Aquarius annum,
Et cecidit largis æthere nimbus aquis.
Jamque ruens altis tumidus de montibus amnis
Volvitur, et signat dira ruina viam;
Pronus in arva venit, non clausus finibus ullis,
Ramos et lapides saxaque rupta trahens.
Nunc etiam cæli tempestas aspera sævit,
Devastat terras, æquora magna ruit.
Oceano rapidus properat se condere Phœbus;
Et gelidus Boreas aëra noctis habet.
Ardua deciduis viduatur frondibus arbor,
Et montes vestit frigida Bruma nive.
Effusâ molles vexantur grandine vites,
Pulsa fero vento pinus acuta cadit.
Induitur niveo canens velamine tellus,
Duranturque pigro flumina stricta gelu.

O fortunati! quibus est focus igne relucens,
Felicesque magis, queis datur igne frui;
Ter quater est felix sua qui bona gaudet egeno
Largiri, et miseris lumen adesse viris.
Divinam ad vitam mihi pervenisse videntur,
Non sibi qui vivunt, ast homini atque Deo.
Quam rarò reputant tumidi lautique superbi,
Qui pravis opibus luxuriâque fluunt;
Quot rigidæ hoc duro succumbant tempore morti,
Pauperie oppressi, flebilibusque malis:
Quot miseri sævo languescant carcere clausi,
Quot videant dulcis culmina nulla domûs!

Jo. Campbell.

III.

Pulchram naturæ faciem nunc gratia linquit,
Et tegitur canâ campus ubique nive.
Horret, concutiens sub vento brachia nuda
Arbor, deciduis jam viduata comis.
Nunc nullæ in sylvis choreæ ducuntur amœnis,
Nec canit agrestes fistula grata modos;
Atque viris ipsis torpet jam in corpore sanguis
Frigidus, et lætum cogit adire focum.
Felix qui potis est hyemem nunc pellere duram,
Et largo gaudens igne fovere Lares:

Quem recreant Graiæ pariter Latiæque Camenæ,
Leniter et Brumæ tædia ferre juvant.
At ter felices, inopem queis cura levare,
Delectat miseris quos reserare domum.
Hi sese ad cælum mihi jam erexisse videntur,
Terrarumque udum deseruisse solum.

D. K. Sandford.

MILITIÆ LABOR.

I.

Tempora, Saturno quondam regnante, fuerunt,
Contentus vixit cùm benè quisque suo.
Arte faber dirâ cùm nondum duxerat ensem,
Nec galeæ levis, nec clypei usus erat.
At nunc atra ciet Mars totum bella per orbem,
Invisa et passim matribus arma sonant.
Cingitur assiduo miles duroque labore,
Quem sonitusque tubæ sævaque castra juvant.
Sæpe per algentes nivibus vestigia torquet
Campos, et gelidâ sæpe recumbit humo.
Nunc ut sopitos deludunt somnia sensus,
Uxorem, natos, et videt ille domum.
At fugiunt visus, mediâ cum nocte quietâ,
Horribili cecinit buccina rauca sono.

Tum salit et manibus lethalia tela prehendit,
Et precibus justis invocat ante Deos.
Jam pugnas acies adversâ fronte lacessunt,
Clamore et magno turma, caterva, ruit.
Prima Aurora novo cum spargit lumine terras,
Ingeminant pugnæ, concitat ira viros.
Nunc hi, nunc illi, victores esse videntur,
Multaque ferali corpora cæde cadunt.
Spes animos dubiâ fortunâ recreat alma,
Rebus in adversis, spes nova semper adest.
Strenuus est verè, pugnans pro arisque focisque,
Quem patriæ causâ non cecidisse piget.
Non metuit mortem, terrent non ulla pericla,
Virtute at prodit conscius ipse suâ.
Si moritur, gaudet speratâ fine laborum,
Occidit et cunctis flebilis usque bonis.
Si vincit, magno æternoque triumphat honore,
Et tectus, grato pectore, civis amat.
Huic quàm dissimilis durus sine lege tyrannus,
Injustus patriam qui populumque premit.
Vota nec exaudit viduæ, nec patre carentis,
Ferreus at dulci pellit ubique domo.
Lætitiam nullam victoria civibus affert
Illius infestâ parta cruenta manu.
Cum moritur, nemo languentia lumina condit,
Auram supremam nullus in ore capit.

Impia nec quisquam curat mandare sepulchro
  Ossa, sed in triviis non lacrymata jacent.

Jo. Campbell.

II.

Primum castra vide, campo metata patente,
  Miles ubi fessus membra quiete levat.
Nocte tenebrosâ, vigilis ni gressus euntis
  In vallo resonet, Martia castra silent.
Millibus, heu! iterum occiduum nec cernere solem,
  Nec dulci somno membra levare, datur!
Cum primum radiis terrarum Aurora retexit
  Orbem; certantes cornua ad arma vocant.
Undique nunc strepitus regnant: hic arrigit aures
  Impatiens sonitûs, frenaque mandit, equus.
Pugnacesque equitum turmæ, peditumque catervæ,
  Continuo faciunt arva sonare pede.
Buccina rauca canit: certatimque in prœlia cuncti
  Hortantes properant: instituuntque duces.
Frontibus adversis hostilia jam agmina sistunt,
  Spiculaque adverso ferrea sole nitent.
Hos animat patriæ pietas; et magnus amœnæ
  Libertatis amor mascula corda ciet.
Illinc pugnatur sub vincula dura tyranni;
  Servitium tardat sævi odiumque ducis.

Martia ferventes accendunt classica pugnas,
  Clamore et magno in prœlia quisque ruit.
Exoritur clamorque virum, clangorque nefandus
  Telorum dirûm sidera celsa ferit.
Nec longum constat servorum ignobile vulgus,
  At toto campo libera turba fugat.
Victoris currum capti servantur ut ornent;
  Miles "Io," magnâ voce, "triumphe" canit.

JACOBUS ROSE, *Ætat.* 15.

III.

EN! resonat celsis in collibus agmine denso
  Ungula bellatum progredientis equi.
Jam calcant pedites agros et rura, beata
  Hactenus, at fœdâ strage replenda citò.
Apparent longè nunc millia multa virorum,
  In solis radiis ferrea tela micant.
Vexillum tenui pictum jactatur in aurâ,
  Murmure jamque canunt cum reboànte tubæ.
Et cava terrificos sonitus jam tympana reddunt,
  Vocalesque sonos fistula acuta refert.
En! validum vàlido super agmine confluit agmen:
  Dicere quis poterit posse redire domum?
Ingeminant strepitus, incedunt ordine denso,
  Sub ducibus pedites cornipedesque suis.

Hostis conferto succedit in ordine contra,
In manibus dextris martia tela vibrans.
Commiscent acies, ensis nunc tunditur ense,
Vulnere lethali spicula sæva volant.
Haud aliter torto prægnantes fulmine nimbi,
Concurrunt tonitru; sidera cuncta fremunt.
Fulmina nunc magnâ cum luce per æthera currunt,
Jamque cadunt imbres, culminibusque crepant.
Conseruere manum, fluctu majorque potenti
Auditur clamor, cornipedesque ruunt.
Hìc immota manus confligit robore duro,
Fixa mori, aut firmum semper habere locum.
Illic mota phalanx; nec jam loca prisca tenentur,
Jamdudum effusæ terga dedere fugæ.
Hinc homines miseri volventes saucia membra,
Afflicto, clamant, parcite, parce viro.
Illinc nunc palmam celebrant clangore tubarum
Festarum, niveis gloria fertur equis.
En! hostes fugiunt; alii cum morte sequuntur
Certâ; fit subito sanguinolentus ager.
Jam bellatores redeuntes, hoste subacto,
Et reddunt grates, excipiuntque ducem.
Jamque domum redeunt curent ut vulnera sæva,
Gratantur salvos, nunc reducesque senes.
Militiæque labore, fero belloque peractis,
Sanguineam pugnam et bella valere jubent.

GUL. MENZIES.

IV.

QUID docet heroas belli tolerare labores,
  Cunctaque militiæ tædia ferre juvat?
Aut, ubi nunc passim metuenda pericula surgunt,
  Sustinet, et vires adjicit usque novas;
Hic, ubi turbantur stridentibus æquora ventis,
  Navis et infidis fluctibus acta tremit;
Illic, exspectant ubi strictis ensibus hostes,
  Et mortem tristem, sævaque vincla parant?
Quid pugnantûm animos ad diri prœlia Martis
  Erigit, et trepido corda soluta metu;
Oppositis acies cùm densæ frontibus adstant,
  Et rabie cæci tela corusca vibrant!
Spes! Spes cælestis! tu mentes robore firmas,
  Lætas discrimen quidque subire jubes.
Spes laudis, decoris, prædæ, spes nomen habendi,
  Inclyta quod semper fama sub astra ferat.
Addit amor patriæ stimulos ad fortia facta,
  Urget amor sobolis, conjugis urget amor.
Implet nunc vestros animos hic ardor, Iberi!
  Et docet intrepidas mittere tela manus.
Instate O fortes, hostem depellite sævum,
  Natales virtus nunc tueatur agros!
Posteri ut a vobis discant perferre labores,
  Patria quum natos dulcis ad arma vocat.

D. K. SANDFORD.

KALENDÆ JANUARIÆ.

Jane biceps! anni tacitè labentis origo. Ov.

I.

MENSIBUS exactis magnus nunc effugit annus,
Et nive splendenti mane repletur humus.
Felices populi nunc concurrêre frequentes,
Per plateas risus lætitiæque sonus.
Hic nunc accedens, adeunti cuilibet obstat,
Inquit et, "Hoc anno sit veniente frui,"
Conjunguntque manus dextras; jam sæpe placentæ
Libandæ, et *vitæ* munera dantur *aquæ*.
Butyro hic portat solennia liba referta,
Nec collyra uvis undique plena deest.
Omnes exultant, facies nec mæsta videtur;
Junctura et dextræ sæpius acta manûs.
Quis non lætus erit cum spectat gaudia tanta,
Cum tantæ turbæ sidera risus adit?
At sunt qui male facta dolent nunc temporis acti:
Sic aiunt, donec circiter omnis ovat:
"O mihi perfectum reddat si Jupiter annum,
"Et referat quæ jam præteriêre dies!
"Quantùm exultarem felix ego corde micante,
"Culpâ cum posset mens caruisse mea.

"Felices O terque quaterque! insontia quorum
"Pectora vix unquam murmura mæsta dabant,
"Innocuumque animum non terret conscius horror;
"Tempore qui possunt lætitiâque frui.
"Me vero miserum! cruciavi pectus amici,
"Et rea mens reddit crimina multa mihi."
Hic autem est alius cui gaudia vera feruntur:
Utile præceptum tempora cuncta docent;
Cogitat inque animo: "Pater omnipotentis Olympi,
"Antiquos animos usque tenere precor;
"Semper habere voluntatem, et præcordia nostris
"Mitia, nec largâ dona deesse manu."
Sic nos gaudentes gelidâ cantemus in umbrâ,
Laudemus læto protinus ore Deum.

Gul. Menzies.

II.

Quam properè spatium fugientis labitur anni,
Excipiturque atrâ nocte serena dies.
Labitur ut tacitè, tacitè succedit et alter,
Elapsusque gradum non revocare potest.
Haud aliter fluvius, sinuans per rura profunda,
Tranquillus tacitâ littora mordet aquâ;
Et celeres undas magnum devolvit in æquor,
Quo simul ac ventum, nulla redire potest.

Signa rubens iterum Phœbus duodena peregit,
Et lætæ terræ jam novus annus adest.
Jam veniunt festis solennia sacra diebus,
Lætitiâ et blando cuncta repleta joco.
Tibia jucundis mulcet concentibus auras,
Et resonat dulcis cantus ubique lyræ.
Pars placidas ducunt ad plectra sonora choreas,
Lætaque festivâ carmina voce canunt:
Pars agitant festo convivia pinguia ludo,
Et fundunt pronâ dulcia vina manu.
Sic hujus mortem labentis plurimus anni,
Illius et partum concelebrare solet.
At meditans animus diversâ se occupat arte,
Venturos reputans præteritosque dies:
Præteritum vultu mærenti respicit annum,
Tempora quæ frustrà sumpta fuere gemens,
Inque animum revocans amissos tristis amicos,
Dum stillat gratis debita gutta genis.
Lætior at vultu venturum suspicit annum,
Tristitiæ durum mente movetur onus;
Nam statuit secum meliorem ducere vitam,
Vitare et fœdum sedulus omne nefas.

Jo. Campbell.

III.

PERPETUO currunt æternis orbibus anni,
  Ut fluvius lapsu currit in arva vago.
Vertice montano, nullo revocabilis ævo,
  Impete præcipites in mare volvit aquas.
Sic volat et tempus jaculo velocius ullo,
  Lapsum nemo potest heu! revocare diem.
Venit festa dies, solennia gaudia rursus,
  Atque novi stimulat mobile vulgus amor.
Concelebrant annum saltantes cominus omnes,
  Per vicos omnes improba turba fremit.
Instaurant epulas, lauta et convivia cuncti;
  Undique luxuries desidiosa valet.
Ad risum salibus jucundis turba movetur,
  Largiter et vino pocula plena bibunt.
Non rarò capiunt multorum talia mentes,
  Annum quemque novum dum celebrare juvat.
Sunt alii tempus quos non juvat hisce vovere,
  Præteritosque dies qui reputare solent;
Quot motus cædesque anno evenêre supremo,
  Terribili gentes quot cecidêre manu.
Et grato reputant animo sua commoda cuncta
  Anni præteriti, tristitiâque mala.
Et si jam lapso voluerunt tempore abuti,
  Solertes statuunt et magis esse boni.

Conantur totam meliùs disponere vitam,
Turpeque delectat corrigere omne scelus.

H. Gordon.

SPES.

Spes etiam validâ solatur compede vinctum. Tib.

I.

Est procul, immensum fluctus ubi volvit in æquor
Rhenus, terra capax; Gallia nomen habet.
Illic immitis sparsusque cruore tyrannus,
Pollenti invadens omnia sceptra manu,
Crudeli rapuit dextrâ traxitque togatos,
Quos procul a patriâ fœda catena ligat.
Dirum est captivi fatum, qui compede vinctus
Sævâ, squalenti in carcere tempus agit.
Stramineo recubans lecto, sine tegmine restat:
Immites ventos fœda fenestra capit.
Squalens est laquear quà nectit aranea telas:
Mucor edit lapides pergelidumque solum.
Inveniunt radii solis vix limina cæca;
Nec possunt mæstum lætificare virum.
Non illi uxor adest quæ tardum fallere tempus
Curet, et immeritis ingemuisse malis.

Nulli circumstant pueri, linguâque loquaci,
  Enarrant longo plurima facta die.
Semper abest flammâ solanti lucidus ignis,
  Desunt convictûs dulcia membra sui.
Crura sonant ferro mordaci pallida morbo,
  Et nutrimentum est parvula crusta cibi.
"Patria, felices!" inquit, "quibus extitit alma,
  "Et possunt patrum qui requiêsse solo.
"Arma sed injustæ causæ victricia facta,
  "Conjugis a caro corripuêre sinu.
"O Dea Libertas, Divûm te carior alter
  "Arva beatorum non veneranda colit!
"Auspice te subii casus variosque labores,
  "In te bis quondam terque beatus eram.
"Sed tu fugisti, dilectaque nulla reperta est
  "Tristitiam poterit quæ relevare meam,
"Ni, Spes, omne bonum præbens, tu grata manebis,
  "Atque tuum mittes in mea corda jubar."

GUL. MENZIES.

II.

Te, bona Spes, dicam, mentis tu blanda dolentis
  Altrix, quæ curæ pondera tanta levas.
Musa canit, quum ætas surrexit ferrea mundo
  Impio, et infandis tot mala nata viris;

Cum sata dissidium, rabies, discordia tetra,
  Fataque tarda prius, corripuêre gradum;
Ultima cælestum, terras cum Astræa reliquit,
  Solam pollutis te remanere viris.
Exhilaras nautam, patriâ tellure remotum,
  Qui rapidis audet pandere vela notis:
Seu secat Ægæum sævis infame procellis,
  Seu legit Euxini littora dira maris:
Seu morte instanti per concurrentia saxa,
  Ultima seu dubium per freta tentat iter.
Tu quoque, Spes, constans es militis acris amica,
  Et das tam longas sustinuisse vias.
Tuque ardore imples certamen inire paratum,
  Horrida cum pugnæ classica signa canunt.
Corde jubet læto optatum salvere triumphum,
  Et redit insigni tectus honore domum.
Tu penetras etiam tenebrosi carceris umbras,
  Servitiique gravis ferrea vincla levas.
Tu miserum polles solari voce salubri,
  Carcere qui sævo tempora tarda trahit.
Non Phœbea dies illustrant lumina mæstas,
  Nec tristes noctes pallida luna juvat.
Nulla genas mulcet macras levis aura Favonî,
  Nec calido lætus prænitet igne focus.
Nulla venusta uxor, spes pignora nulla parentis,
  Consiliûm socius nullus amicus adest.

Sed vel servitii das vires ferre catenas,
  Almaque non tantis succubuisse malis.
Ante oculos ponis libertatemque cupitam,
  Charosque agnatos, tectaque grata domûs.
Tu me instigâsti perstare in versibus illis,
  Per te nunc dulcis meta laboris adest.

Jo. Campbell.

MERCATORUM NAVIGATIO.

I.

Mercator misero lucri stimulatus amore,
  Audet nubiferis pandere vela notis:
Visitat et cunctæ distantia littora terræ,
  Emensus fragili marmora cuncta rate:
Et validos æstus, et frigus sentit adurens;
  Ut sibi congestus surgat acervus opum.
Sed repetit tandem patriam nataliaque arva,
  Miraturque iterum limina grata laris.
Quosque suæ fructus terræ Natura negavit
  Distanti gravidâ littore nave refert.
Nunc iter intendit nascenti quà India soli
  Panditur; et dites Gange rigantur agri,
Quà gelidum Taurus caput inter nubila condit,
  Vertice quà præceps Imaus astra ferit.

Hinc fert, delectat quæ nos et recreat herbam,
  Barrini et niveum munera dentis ebur.
Hinc quoque Sapphirus fertur viridisque Smaragdus,
  Donaque gemmiferi conchea bacca maris.
Mortiferæ Javæ nunc navi imponit aroma,
  Vel quod suffimen terra Sabæa parit.
Nunc petit, impavido quæ terra reperta Columbo,
  Quà caput æquoreis Delius abdit aquis.
Obtinet hic auri fulgentia pondera fulvi,
  Albaque diffisso rapta metalla solo:
Nec reputat gremio damnentur degere terræ
  Quot clausi miseros sole calente dies.
Gallia nunc avidum invitat ditissima frugum,
  Quà pedibus nudis pinguia musta fluunt.
Allicit aut dives Tartessia gramine tellus,
  Fundit ubi flavas fertilis arbor opes.

Jo. Campbell.

II.

Quot mercatori debemus commoda vitæ
  Percurrit fragili qui freta salsa trabe!
Non rapidos fluctus metuit, ventosque furentes,
  Fulmina nec vasto missa corusca polo.
Intrepidus pelagi spectat crudelia monstra,
  Nec terret tellus undique tecta feris.

Audet, spe lucri stimulatus, arare tumentem
    Pontum, et velocis pandere vela ratis.
Inter crudeles audet se credere gentes,
    Et prius ignotos visere sæpe locos.
Accedit populos utroque sub axe jacentes,
    Externoque refert omnia parta solo.
Nunc patriæ stannum nostræ convertit in aurum,
    Nunc nitidis gemmis vellera mutat ovis.
Impiger audaci cursu contendit ad Indos,
    Eque arvis Arabum thura Sabæa refert.
Præbet jucundos fructus Hispanica tellus
    Fertilis, atque Paros marmora viva parit.
Tradit ei pinguis generosum Gallia vinum,
    Assyriæque plagis purpura picta venit.
Seres quà eoi ramis sua fila revellunt,
    Quà faciunt udo signa decora luto;
Audax haud metuit festinum impellere cursum,
    Et premit immensam divite merce ratem.
A Tmolo crocei flores portantur ab illo,
    Fuscaque Erythræo bacca reperta mari.
Sol quà purpureus primum se ostendere cœpit,
    Quaque fatigatos abluit æstus equos,
Vadit, per cunctas faciens commercia gentes,
    Augens et patriæ, divitiasque suas.

E. Pinkerton.

III.

SILVESTRES aliis placeat, cantare labores
  Et lætas segetes, lanigerumque pecus:
Sit mihi nimbosi discrimina dicere ponti,
  Quæque ferunt nautæ, veliferæque rates:
Quæ patitur quando currit mercator ad Indos,
  Aut lentum pelagus quà glaciesque valent.
Angustos inter fines commercia quondam
  Compressa, et tenuit littora nauta timens.
At nunc vela facit, sponsam patriamque relinquit,
  Ut merces mutet quas sua terra gerit.
Pro Cereris dono, lanâque, et veste decorâ,
  Conchas et gemmas portat et omne decus.
Vina, bonum nectar, quæ tellus Bætica gignit,
  Fœtus arboreos, aurea mala petit.
Mercibus invectis peregrè, nunc Scotia jentat,
  Combibit et placidè sacchara mista theâ.

THOMAS M'CRIE, *Ætat.* 15.

IV.

COMMODA mercator nobis quam multa reportat,
  Queis detrectatis languida corda dolent.
Is patriam linquens extremos currit ad Indos,
  Ut patriæ referat quæ sua terra negat.

Imbres effundens Eurus non terret euntem,
    Luctantisve Euro dira procella Noti.
Pectoris impavidi, scopulosa Ceraunia spectat,
    Tristia nec trepidat monstra videre maris.
Non terrent syrtes, non Scyllæ saxa triformis,
    Non rabidam eructans sæva Charybdis aquam.
Non defessa gravi succumbunt membra labori,
    Nec metuit brumæ frigora dura pati.
Assiduâ curâ graviora pericula vincit,
    Extemploque suam sperat adire domum.
Terras et cursu visit sub sole propinquo,
    Quà tellus aret sidere fissa Canis.
Et campos adiit quà regnat frigus opacum,
    Quàque gelu segni frigida terra riget.
Visitat et terras in queis pretiosa fodina
    Visceribus cæcis pondera fulva tenet.
Hic miserum spectat, solidâ qui compede vinctus,
    Exercet lassâ pensa diurna manu,
Longiùs a patriâ et caris disjunctus amicis
    Qui vitâ fruitur deteriore nece.
Et tandem longis multisque laboribus actus,
    Divitiis partis ad sua prata redit.
Illic speratum reditum gratantur amici,
    Et nati dulces oscula blanda petunt.

Archibaldus Connell, *Ætat.* 14.

ODE TERTIA ANACREONTIS LATINE REDDITA.

Μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις, κ. τ. λ.

I.

Nox medios quondam torqueret cum humida cursus,
Jamque sub Arcturi verteret Ursa manum;
Suavia tranquilli caperet cum munera somni
Omne genus domitum membra labore virûm;
Tunc Amor adveniens, pulsabat limina tecti,
"Quis pultat? rumpes somnia," dico, "mihi."
"O aperi," inquit Amor, "metuas nil, sum puer infans,
"Immadeo, erravi, nocte nigrante, viâ."
Hoc dicto, casûs imo de corde misertus,
Accenso lychno, pando repente fores.
Et puerum sanè infantem demiror ocellis,
Cui pharetra, et pennæ, curvus et arcus erat.
Ante focum posui, palmas manibusque fovebam
Ejus, et expressi flumina larga comis.
Ille autem, ut frigus tandem cessaverat, inquit,
"Si quid, tentemus, læditur arcus aquâ."
Mox sinuat, mediumque jecur ferit instar asili,
Protinus exsultat, risus et ora quatit:

Et, "gratare mihi," conclamat amabilis hospes,
"Illæsum est cornu, corde sed æger eris."

Jo. Campbell.

II.

Nocte super mediâ, fulgent quum sidera cælo,
Jamque sub Arcturi vertitur Ursa manum;
Quum domitum haud cessante genus mortale labore,
Per mollem sternit languida membra torum:
Ad limen se sistit Amor, dein ostia pulsat;
"Quis rumpit," dico, "somnia grata mihi?"
"Ast age, nil metuas," respondet protinus ille,
"Sum puer, admittas, supplice voce precor.
"Nam defessus agros illuni nocte pererro,
"Me sævus miserum ventus et imber agit."
His precibus motus surgo, properèque lucernam
Accendo, clausas mox reseroque fores.
Aligerum puerum tunc cerno arcuque decorum,
Cui pharetrâ pendent aurea tela levi.
Ante focum algentem pono, palmasque rigentes
Nunc foveo, ambrosias nunc bene sicco comas.
Frigore dimisso, atque refectis viribus, ille
Risu consurgens, improbus arma parat.
"Arcûs quid noceat nervis hic turbidus imber,
"Illæsi an maneant, experiamur," ait.

Dicit, et extemplo telum mihi mittit acutum,
  Figitur inque alto corde sagitta meo.
" Lætare," exclamat, " mecum nunc, hospes amice,
  " Integer est arcus, telaque salva mihi!
" At tu, stulte, gemes infixum pectore vulnus,
  " Sanatur serò quem semel urit Amor."

D. K. Sandford.

HELVETIA.

I.

O Libertatis Nutrix, interrita tellus,
  Culmina qua montes intemerata levant;
Helvetii duri degunt ubi tempora læta,
  Indomitum et patiens, ut sua saxa, genus!
Aerios montes, fluvios, ingentia saxa,
  Cæruleosque lacus, me celebrare juvet.
Impiger hic miles, tutans et nascitur ensis,
  Et versat steriles incola fortis agros.
Flore nitent nullo, glacie torpentia saxa,
  Aura tepens zephyri frigora, nulla levat.
Pigra sed insistens ver tardum bruma moratur,
  Fulgur et horrendum diraque sævit hiems.
Atque gelu terram velant latè æquora sævi,
  Nec pereunt victæ sole calente nives.

At tamen hic animus, fato contentus iniquo,
Delinire plagæ frigora sæva potest.
Rusticus ingrato quamvis est pauper agello,
Nec recipit lautas parvula mensa dapes;
Non ideo infelix auratis invidet aulis,
Dedecorant humiles atria nulla casas.
Impiger, et natus durum tolerare laborem,
Vel magis ob montes diligit ille solum.
Mane, brevi somno lætus sua membra resolvit,
Et gradiens hilaris *carmina nota* canit.
Retibus aut pisces captat linoque sequaci,
Aut forti acclivem vomere rumpit humum.
Aut latebras quærit, nivibus vestigia stringens,
Cuspide spumantem sternere doctus aprum.
Nocte, domum repetens, omnique labore peracto,
Defessus calidum desidet ante focum.
Haud mora, circumstant ridenti pignora vultu,
Et fessum exhilarant ore loquace patrem.
Dum reducem thalami consors gratatur amata,
Apparat et gnavâ fercula parva manu.
Sic bona nativi quæ præbent omnia montes,
Accendunt patrii pectus amore soli:
Dulcia, conveniunt quæ menti parvula tecta,
Chari, quos montes aspera radit hiems!
Et tu, Libertas, dulcis! gratissima Divûm,
Fortia tu suavi numine corda reples.

Pro te non metuit mortem, non ulla pericla,
Carior es vitâ, conjuge, prole, domo!
Usque tuum sacrum servabit pectore nomen
Civis, et insigni tollet honore locum,
Quà tu Telle audax, tu libertatis origo,
Servitii durum nescie ferre jugum,
Ferrea refringens crudelis vincla tyranni,
Incolumi patriæ libera jura dabas.

Jo. Campbell.

II.

Helvetia, O tellus heroum, pectora quorum
Nunquam spectârunt hostica tela metu!
O bellatorum tellus durissima nutrix,
Ecce propago adstat montibus orta tuis!
Excelso montes tangunt ut vertice cælum!
Quà nive perpetuâ frigida regnat hiems:
Atque tuæ valles resonant ut murmure grato
Rivorum ex alto monte fluentis aquæ!
Cæruleique lacus undas ad littora volvunt,
Marmora sunt quorum splendidiora vitro.
Audi, jam tenui fortis modulatur avenâ
Pastor dulce melos suaviloquente sono:
Felicesque tegunt colles vallesque capellæ.
Rursus oves dominis ubera plena ferunt.

Helvetios quondam bellaces Roma tenebat,
  Libera compellens colla subire jugo.
Ast ubi tempus edax reginam everterat urbem,
  Imperiumque ingens dira ruina fuit:
Lugebat sævo tellus depressa tyranno.
  Jamque galerus adest, ter veneranda nota!
Despicit ast unus vir verba minacia fortis;
  Pertica restabat, nîl reverente viro.
Hoc verò audito, morti damnavit iniquus,
  In capite aut gnati findere poma procul.
Horaque nunc aderat; magnâ comitante catervâ,
  Fatalem metam vir generosus adit.
Spemque metumque inter dubii vulgusque parensque:
  —Innocuo capiti parce, sagitta, precor—
Ancipitemque parat timidè jam tendere nervum:
  Et telum patriis evolat e manibus.
Finditur at pomum; torvus dixitque tyrannus,
  "Cur tibi sub zonis ista sagitta latet?"
Heros respondet: "Carum si fata tulissent
  "Gnatum, fixissem corda, tyranne, tua."
Hæc ubi dicta dedit, traxit clausitque barathro
  Crudelis dominus, fervet et ira viri.
Effugit e manibus confestim principis acer;
  Collectâ vincit tela nefanda manu.
Libertate canente tubam, generosa propago
  Heroum sequitur, nîl remorante viam;

In totâ donec terrâ non cernitur ulli.
  Hostis; perque plagam Pax Dea sola manet.
Sed tandem sævi gratam rupêre quietem
  Galli; Libertas Helvetiâque fugit.
Inficiunt hostes serpentes sanguine rivos;
  Flumina clara olim tincta cruore fluunt.
Nomini at inviso maledicent secla futura,
  Factaque tu tandem morte, tyranne, lues.
Quinetiam æternæ corrodent pectora pœnæ:
  Nulli unquam populi dent benedicta tibi.

GUL. MENZIES.

III.

HELVETII, vestrâ magis ecquæ terra meretur
Carmen? quidve canam terrâ jucundiùs istâ,
Quà montes nivei cælestia lumina tangunt,—
Deliciis ruris; quà quondam sistere gressus
Aurea Libertas voluit; sub legibus acres
Crescebant pueri, heroumque interrita proles?
Aspiciens gaudet sylvasque lacusque viator;
Adstat et attonitus, cataractis unda sonoris
Dum ruit; et valles exornant prædia vestras.
Signant simplicitasque, nitorque, et sedula cura
Cives. Non tali populo inclementia cæli
Officit. O tempus felix! quo Tellius audax

Collis excussit vestris juga sæva tyranni,
Restituens patriæ mores quos gesserat olim.
Hinc patriæ generosus amor te laudibus, Heros,
Prosequitur, redditque tuum memorabile nomen:
Ardor enim vehemens a te, dein mascula virtus
Exoritur sævis vigor insuperabilis armis.
Libertas valuit, nec vincla tyrannidis atræ
Gestantes lethum cupiunt. O Glari decora,
Heroes pauci vires turmasque tyranni
Fregerunt*; minor Helveticis nec gloria venit
Quam retulit Danaûm soboli Marathonia clades.
Sed postquam insidiæ Galli, infamesque catervæ
Prœlia miscuerant, et cives Marte cruento
Vestros exsciderant; ex illo tempore demum
Helvetiorum animi, et priscæ languescere leges:
Dein amor et patriæ sensim, nativaque virtus,
Ingenuæque artes periêre; et Gallicus ensis
Ingruit in populum qui quondam gloria mundi.

T. M'Crie.

IV.

Venturis seclis tu, libertatis imago,
  Me juvet heroas concelebrare tuos,
Et nivibus tectos æternis undique montes,
  Et pulchros fluvios, cæruleosque lacus.

* In prœlio apud *Næfells* facto, A. D. 1388.

Sitque colonorùm gentem fas dicere fortem,
Servitii toties qui repulêre jugum.
Qui casulas humiles habitantes pace quietâ,
Duram vertendo terram habuere cibum.
At nunc atroci atque immiti corde tyrannus,
—Qui nunc imperium tendit ubique suum ;
In quem venturis fundentur ab omnibus ævis
Diræ—non justâ sub ditione tenet.
Dux quondam dominatu terram Albertus habebat,
Præfecto comiti qui sua jura dedit.
Perticâ at in longâ posuit vilem ille galerum,
Qui veluti Dominus respiciendus erat.
Transit vir quidam Gulielmus sæpe, galerum
Haud venerans ; arcu clarus et arte fuit.
Damnat eum rector morti, vel findere pomum
In nati capite ; is mox duo tela parat.
Pervenit adque locum Vir luce horâque statutâ,
Rectè et collineans fortiter ille ferit.
Telum aliud spectans sed zonâ rector in arctâ,
"Cur," ait, "in zonis altera tela tenes?"
Cui Tell respondit : "Statuebam, sæve tyranne,
"Occiso nato, cor penetrare tuum."
Iratus rector ponendum in carcere curat ;
Effugit at subitò, pervenit adque suos.
A populo rector mox oppugnatur, et illum
Devincunt ; ipsum Tell jaculoque necat.

JOANNES NEWTON, *Ætat.* 13.

V.

TELLURIS, quondam quâ non felicior ulla,
Et virides ripas, cæruleosque lacus,
Nubiferos montes, et saxa minantia cælo,
Atque cavas valles, me celebrare juvat.
Namque ibi libertas olim regnabat in agris,
Colla jugoque fero libera nuper erant:
Incola divitias invidit regibus asper
Nunquam: contentus sorte sed omnis erat.
Tranquillam vitam concordi pace regebant,
Nec belli ignaris ferreus ensis erat.
Rusticus O quoties, longi post acta diei,
Languida curavit membra labore cibo!
O quoties ejus luserunt pignora circum,
Mulsit et ad patrios uxor amata lares!
Illic turbatus non armis incola lætus:
Gaudiaque in parvâ tanta fuere casâ!
O felix nullis concordia rupta querelis,
Et quodcunque malum culmina magna tegunt.
Gallorum, tandem victi, cessere tyranno,
Qui in virides montes agmina densa tulit.
Is ferro totos est depopulatus agellos,
Sanguine et irriguas commaculavit aquas.
Qui potuit populi talis perrumpere leges
Cogere et insontes subdere colla jugo,

Quì potuit curas tantosque inferre dolores
Helvetiis, verè ferreus ille fuit.
Puniet ast illum permagna potentia cæli,
Et tandem leto crimina multa luet.

HUNTERUS GORDON, *Ætat.* 12.

ROSA.

Το ροδον ακμαζει βαιον χρονον.

I.

Dic mihi Musa modum quo ornetur laude decorâ
Flos tibi quem musco caulis opertus alit?
Quî possim dignè faciem celebrare rubentem,
E calyce exsurgunt quum viridante comæ?
Quî florem plenum, cum se frons explicat almo
Phœbo, cumque vagas mella morantur apes?
Sed cur pallescis, cadit et tua gloria terræ?
Dum loquor, in ventos forma repente fugit.
Quî te describam? fugisti; et spina relicta
Nulla dat amissæ nunc monumenta rosæ.
Sic hominis decedit honor, viridisque juventas
Sæpe cadit veluti in germine carpta rosa.
Sol oriens juvenem vidit persæpe vigentem,
Cujus ad occasum corpus inane jacet.

Mortis tempestas hòmines, ut flamina flòres,
Aufert, et summis fit mora nulla viris.
Sic, mortale genus, trahimur, properante senectâ,
In flumen secum cuncta ferentis aquæ.

GUL. MENZIES.

II.

CANDIDA cum rediens nivibus ver arva remulcet,
Mollibus et zephyris mitior aura venit,
Tum, Rosa, tu redolens turgentia germina trudis,
Cauleque muscoso conspicienda sedes.
Primò flore novo, foliisque recentibus halas,
Manèque purpureâ fronte superba nites;
Decidis at, seras cum vesper duplicat umbras,
Sola tuoque manet spina relicta loco.
Sic perit effulgens mendaci gloria fuco,
Sic honor, et famæ nomen inane perit.
Sic pereunt splendor, decus, et terrestria cuncta,
Sic casa, et ingenti condita mole domus.
Nec rarò ante decus quam formæ expanditur omne,
Marces præcipiti tu, rosa, lecta manu.
Tale juventutis fatum quæ germine carpta,
Morte immaturâ disperit ante diem.
At licet et tituli pereant et gloria vitæ,
Firma manet virtus, vivida, fine carens.

Hæc hiemis sævis obsistit sola procellis,
  Solaturque pii tempora summa viri.

Jo. Campbell.

III.

O rosa, quæ pandis jucundos vere nitores,
  Atque ornas pulchris culta vireta comis.
Vix monstravisti splendentes sole colores,
  Languida cum properè caule virente cadas.
Floribus expansis, Zephyrum perfundis odore,
  Et mox demittis marcida triste caput.
Forsitan aut aliquis tenero te caule revellat,
  Et terram foliis spargat atroce manu.
Sic, homo, tu marces properè, vitamque relinquis;—
  Quam brevis, instabilis, plena dolore dies!
Nam prius augescit quàm florens sæpe juventus,
  Morti immaturæ cedere fata jubent.
Omnia sic volitant mortalis gaudia vitæ,
  Nullaque quæsitus signa relinquit honor.
Ast homini, Virtus, remanes tu tempus in omne,
  Solaque tu facili ducis ad astra viâ.
Qui tua dicta tenet, timeat nec inhospita saxa,
  Æquoris insanas nec resonantis aquas.
Corda potes senii facilè recreare caduci,
  Constansque ad summam sola manere diem.

E. Pinkerton.

IV.

O ROSA, gemmantûm florum regina rubescens,
Quos hortus cultus, pratave picta tenent.
Idaliæ Veneri, Rosa, quæ gratissima vernas,
Cujus olent circum florea serta solo.
Tempore jam verno tu mollia germina rumpis,
Floribus et multis pingitur omnis ager;
Vomere cùm duro jam terram vertit arator,
Arbor et umbrosas explicat alta comas.
Atque æstate novâ viridi florescis in umbrâ,
Cum torrens æstu Sirius urit humum.
Quando aret, multoque dehiscit terra calore,
In tellure jaces jam viduata comis.
Sic genus humanum est, sic omnia gaudia vitæ,
Quæ durant horam, protinus atque cadunt.
Heu! quoties juvenem tenerum, puerilibus annis
Florentem, gelidâ mors rapit atra manu!
Sic flos, qui viridi cùm forte legatur in horto,
Vere novo florens, perditur ante diem.
Adde quod imperium est, et vana potentia terris;
Virtus æterna in secula sola manet;
Ut semper frondes servans Parnassia laurus,
Omnia quæ brumæ flamina ferre potest.

H. GORDON.

V.

FLOS Veneri sacer, atque ipsis gratissime divis,
  Purpureî fragrans, O Rosa, veris honor.
Primùm " flore novo foliisque recentibus halas,"
  Passaque mox rubris fulgis amicta comis.
Dulcem, prata hilarans, latè diffundis odorem,
  Et naturâ suum jam Dea jactat opus.
At quamvis pulchra es, tamen, eheu! quam brevis ævi,
  Gratia quam subitò quam penitùsque perit.
Manè viget levibus gratisque refecta pruinis,
  Languens sed primo vespere sicca cadit.
Haud aliter splendens mendaci gloria fuco,
  Claret, dum remanet; sic quoque vana fugit.
Haud aliter fragilis damnosa superbia sceptri,
  Et regale decus, per breve tempus adest.
Haud aliter nomen, laus, et fortuna caduca,
  Omnia sunt certo nescia stare loco.
Sola manens Virtus, nullo mutabilis ævo,
  Solatur, mortis quum venit atra dies.
Virtus, post mortem, tendens ad sidera vivit,
  Et fugit extremi tristia fata rogi.

D. K. SANDFORD.

CIRCE.

Circes pocula nosti. Hor.

I.

Est locus a terrâ procurrens æquor in altum,
Qui maris insanis rupibus obstat aquis.
Hic Circe sedem magicam Phœbea tenebat,
Spectantis quæ oculis omnia grata dedit,
Allectare homines valuit, diramque per artem
Diversis formis tum variare viros.
Populus hic viridis tellurem exornat et ilex,
Et socios ramos quercus et ulmus habent.
Culmen et herbosum tollunt ad sidera montes,
Et magica in solâ gramina aluntur humo.
In ramis quercûs hìc nutantisque cupressi,
Nidificant volucres, et philomela canit.
Amnes cærulei descendunt montibus altis,
Vividaque in ripis nascitur herba suis.
Fatalem terram tandem hanc accedit Ulysses,
Fessaque spumanti littore membra locat.
At socii cupidi calicem exhaurire micantem,
Festino gressu mox petiêre domum.
Queis Circe cæpit mox dira venena parare,
Et fundit largâ dulcia vina manu.
Cùm, tacti virgâ, vix pocula plena bibissent,
Procubuêre solo, jamque fuêre sues.

Sic transformati propriam metuêre loquelam;
Pelluntur; fœdum jamque suile tenet.
His exauditis, graviter turbatus Ulysses,
Extemplo repetit mente furente locum.
Forte sed in sylvis occurrens penniger Hermes
Advenit, ad clarum sic loquiturque virum:
"Compulit O! quid te cæcos huc tendere gressus?
"Te tentaverunt dulcia vina deæ."
Herbam jamque dedit, quæ averteret omne periclum,
Haustûs fallacis, pestiferique mali.
Ad tectum, his actis, gressus mox tendit Ulysses,
Cui quoque mox Circe pocula dira parat.
Accepit pateram rex, atque interritus hausit,
Obstupuit Circe illo usque manente viro.
Ille suile adiit, socios et reddidit omnes
In formas proprias, auxiliante Deo.

Jo. Newton.

II.

"In nova fert animus mutatas dicere formas
"Corpora;" Circeque est concelebranda mihi,
Quæ pateris diris socios mutavit Ulyssis,
Inque feras turpes, setigerosque sues.
Hæc, patriam fugiens scelerata ob fata mariti,
Circeias oras Italiamque venit.

Sunt in secessu luci palatia magna,
  Vertice quæ summo sidera celsa petunt.
Hìc cœpit cantu veteres mutare figuras,
  Cunctorum quos huc numina læva ferunt.
Hic animum incautum impellit furibunda voluptas,
  Hic regnat luxus, perniciesque latet.
Ipsa sedet Circe lecto pictisque tapetis,
  Inque manu virgam et pocula dira tenet,
Ambrosias diffusa comas, et vertice odores
  Spirans, adque imos veste fluente pedes.
Circumstant nymphæ, queis non labor anxius unquam,
  Non unquam lassat pendula tela manus.
Herbas ast harum cumulare est falcibus æreis,
  Cauleque compresso tetra venena dare.
Hæc Dea commiscens, et dira in pocula colans,
  Transmutat multos in nova monstra viros.
Per pontum, excisâ Trojâ, dum cautus Ulysses
  Vertit iter retro ad littora cara sibi;
Adversis ventis Polyphemi adnavigat oram,
  Et Siculas terras, Æoliumque solum.
Proxima Circææ raduntur littora terræ,
  Atque tenet curvas anchora jacta rates.
Cuncti exponuntur; tristesque ad proxima tecta
  Vadunt: excipiunt regia tecta deæ.
Tum victu revocant vires, et pocula libant;
  Sed dulci in potu toxica dira latent.

Propria forma uni cunctorum restat Ulyssi;
Molyos illi opibus forma retenta fuit.
Aggreditur Circen, stringit gladiumque minacem,
Et renovare jubet pectora juncta fide,
Tum Circe mirans, et magno abjecta timore,
Se charos socios reddere nolle negat.
Impleto, exactis bis senis mensibus, anno
Ferre parat rursus sæva pericla maris.

Jac. Rose.

III.

In mare purpureus collis procurrit Etruscum,
Cui viret ad summum frondea sylva jugum.
Aurea poma premunt incurvos pondere ramos,
Quæ lætam alliciunt carpere dona manum.
Pampineâ plenis umbrâ tumet uva racemis,
Et dulci lætam nectare spargit humum.
Roscida de viridi destillant ilice mella,
Et nitet Idaliis terra benigna rosis.
Multaque de prono properantia flumina colle,
Obliquo cursu mollia prata rigant.
Nunc tenuis rivus jucundo murmure volvit,
Herboso vitreas margine cinctus aquas.
Nunc rapidus torrens per saxa abrupta relabens
Ingenti sonitu personat omne nemus.

In mediâ sylvâ procera palatia surgunt,
Cui leves turres sidera celsa petunt,
Grata domus Circes; magicas ubi comparat herbas,
Miscet et insanâ pocula dira manu.
Pervenit huc Ithacus, paucis comitatus amicis,
Dum repetit patrii mœnia grata soli:
Antiphaten fugiens regem, populumque cruentum,
Tantùm unâ ex totâ classe manente rate.
Jamque propinquabant ædes et limina celsa,
Ignarique loci, quantaque fata premant.
Ut videt adstantes, lætè dea limina pandit,
Exponitque domûs interioris opes.
Circumstant cocco lecti argentoque superbi:
Illa jubet miseros sternere membra viros.
Aurea resplendent pleno carchesia Baccho,
Et depressa cibûm pondere mensa gemit.
Illita sed spumant fatali pocula succo,
Et dapibus lautis dira venena latent.
Interea, libantque dapes et vina coronant,
Atque avidi pravè cæca venena bibunt.
Haud aliter piscis mendacem currit ad escam,
Devorat atque cibum perniciemque suam.
Tunc maga sæva quatit virgas Phœbea potentes,
Vultuque horrescens aspera dicta dedit:
" Estote hinc pecudes, hominis nec restet imago
" Erecta, at tantùm mentis inane bonum."

Protinus hirsuto villo setisque rigescunt,
  Pronaque humum spectant, sordida turba suum.
Nullaque jam humanæ retinent vestigia formæ,
  Mens miseræ sortis conscia sola manet.
Verba sed exaudit magica immutatus Ulysses,
  Toxica nec possunt atra nocere viro.
Namque herbam dederat proles Cyllenia, Moly,
  His servaturam corpora tuta dolis.
Tum validumque cavâ vaginâ deripit ensem,
  Antiqua et sociis reddere membra jubet.
Illa tremens paret, socii primasque resumunt
  Formas, erecti facti iterumque viri.

Jo. Campbell.

IV.

Sævum heroem alios torvi Chironis alumnum,
  Majori plectro dicere fortè juvat:
Nunc Ithacæ regem potius delectat, Ulyssem
  Magnum, me tenui concelebrare lyrâ.
Qui, cùm consilio perjuræ mœnia Trojæ
  Diruerat, vastans regna superba Phrygum,
Ad patriam rediens tandem, latumque per æquor
  Nave viam faciens, aspera multa tulit.
Nam nunc tempestas venti fera murmura tollens
  Conturbat fluctus, concutit atque rates.

Nunc magis et ventis pontoque timenda Voluptas
  Illecebras turpes insidiosa struit.
Sole satæ Circes tentâsse pericula fertur,
  Verterat illa dolis in nova monstra viros.
Namque procellâ actus dirâ, multoque labore
  Fessus ad Ææææ littora tendit iter:
Filia regnabat fallax Perseïdos illic,
  Hos adventantes et Dea læta videt.
Surgit, et exultans regni festinat ad oras,
  Atriaque invitans ducit ad alta viam.
Ductorem sylvas per amœnas inde sequentes
  Graii, laudabant hospita corda Deæ,
Altis cùm subitò cælis Cyllenia proles
  Descendit, verbis alloquiturque virum:
" Quo nunc, Æolide infelix, malus abstulit error?
  " Quisve tibi hoc magicum suasit inire nemus?
" Heu! cave delicias molles, Circenque dolosam;
  " Præcipuè verò pocula dira cave!
" Accipe sed gratè herbam, te servare valentem
  " Miserunt divi quam tibi; Moly vocant.
" Sic, fidens superis, vinces discrimina cuncta,
  " Atque redux vises patria regna brevi."
Hæc ubi dicta dedit, paribus se sustulit alis,
  Cælorum ad sedes æthereasque redit.
Jamque propinquabant reginæ ad tecta superba,
  Apparet vastâ condita mole domus.

Culmina centenis incumbunt celsa columnis,
Splendens atque auro regia tota micat.
Magnificas portas dea jamque maligna recludit,
Et mox pervadunt limina clara domûs.
Murice nunc vestes tinctas mirantur Achivi,
Auratasque trabes, marmoreumque solum.
"Ergo ubi purpureâ porrectos veste locavit,"
Suppeditat lautos mensa parata cibos.
Callida tunc saturis convivis vina ministrat,
Dum stupeant multo corda sepulta mero.
Dein subitò surgens dicit fatalia verba,
Et fiunt porci qui ante fuere viri.
Sed primam retinens formam tu solus, Ulysses,
Restituis socios, vi superante Deam.
Sic eadem virtus Sirenum quæ inclyta voces
Vicit, nunc Circes vincere verba valet.
Exemplo discas igitur sapientis Ulyssei!
Atque Voluptatis pocula tetra cave!
Tuque Deo fidens superabis cuncta pericla
Vitæ, et virtutis præmia justa feres!

D. K. Sandford.

V.

Terram quis nescit quam rumor ad æthera tollit,
Virgam terribilem, toxica dira magæ?
Frondosis Circes stant cincta palatia silvis,
Ante fores errant susque lupusque ferox.
Fallaci vocis peregrinum decipit arte,
Concentu et dulci tecta subire jubet.
Mensaque festivis epulis onerata refulget,
Vino convivas mista venena juvant.
Sed vix potârunt fatalia pocula, virgam
Cum quatit, immundi vir capit ora suis.
Hoc comites cepit fatum sapientis Ulyssei,
Dum repetens patriam nauta pererrat aquam.
Sed fraudem Circes ultor rex ipse fefellit,
Restituens sociis os faciemque suis.
Huic florem dederat versutus nomine Moly
Hermes, quâ Circes dux subit arte domum.
Pocula cum Æolides fallax ad dira sedebat,
Conatur virgam tollere saga gravem.
Reppulit armipotens, stricto gladioque micante
Edidit horrificos ore minante sonos.
Inde cadunt sociis setæ, turpisque relinquit
Forma suis; redeunt brachia prisca viris.

T. M'Crie.

ATHENÆ.

RURA aliis placeat, virides et gramine campos,
Pastoresque humili plectro cantare gregesque.
Quid vetat excelsas urbes et mœnia clara,
Ad majora movens nervos et plectra canora,
Ne dicam, celebrans terrarum lumen Athenas
Orbis, et heroum patriam vatumque feracem?

Aoniæ divæ, Parnassi sacra colentes,
Vos patrias rupes dulcesque Aganippidos undas
Linquentes, operamque levate et adeste faventes,
Et mihi jam audenti magna adspirate secundæ!
Mœnia vestra cano, dictasque a Pallade terras.

Aspice quà tollit rupes * abrupta superbum
Turribus excelsis culmen, doctæque minantur
Palladis in cælum domus †, et penetralia sacra
Mille renidenti de marmore nixa columnis.
Hinc oculus, circùm spectans et cuncta pererrans,
Multa videt latè; Æginæque cacumina celsæ,
Hospitis et montes etiam Salaminis opacos:
Tum Pelopis Phrygii telluris littora curva,
Æquoraque Ægei tam crebris consita terris,

* Acropolis. † Parthenôn.

Chalcidos avulsasque oras, bimarisque Corinthi
Antiquas arces. Propiùs sed magna videtur
Gloria Graiorum, collesque domusque superbæ
Fluminaque. Hìc viridis collucens surgit Hymettus
Floribus æstivis, apibus qui maxima cura
Sollicitis: illic riparum anfractibus errans,
Labitur Ilissus tortis; Cephisus et undas
Leniter arguto trepidantes murmure volvit.
Illic jucundis oleis Academica sylva
Vernat, et aligeræ modulantur gutture blandum
Carmen aves tenui:—docto olim grata Platoni
Sedes, quà docuit divini Socratis artem,
Qui Sophiam a cælo terræ deduxit in orbem,
Monstravitque viam liceat quâ scandere sedes
Æthereas, Patrisque attingere regna beata.
Te neque prætercam, toties cui docta, Lyceum,
Porticus excepit sapientem, vincere cuncta
Qui Pellæ docuit juvenem, nisi semet et iram.

Hic antiquus honor; fuit hic et splendor Athenis
Olim; at nunc vastata vides loca, mœnia nuda,
Desertasque vias: passîm fractæque columnæ,
Marmoreæque trabes, lapides, truncataque signa,
Strata jacent; mæstis atque omnia sparsa ruinis.
Quoque loco quondam Pario de marmore templum,
Auratæque ædes stabant, et limina celsa,
Sordida nunc tecta, et constructa mapalia turpi

(Quæ magis apta feris) limo miser incola ponit.
Et quà ridebant onerati messibus agri,
" Infelix lolium et steriles damnantur avenæ."
Fecundis celsâ pro Palladis arbore ramis
Nunc subiêre vepres : Musis pro flumine caro
Parvus vix reptat stagnanti rivulus undâ.
Sæva tenet latè nunc impia sceptra Tyrannis
In miseros cives, heu! urbis amabilis omnes
Ante alias quondam ; hæc nudat cultoribus agros,
Hæc inopes domibus depellit ubique colonos,
Criminis hæc puris implevit carceris antra,
Insontique amnes decurrere sanguine fecit.

O utinam exoriens aliquis, Thrasybulus ut alter,
Nascatur, duri subvertens regna tyranni,
Qui patriæ reddat divini jura Solonis,
Et recidiva manu genetrici mœnia ponat!

Jo. Campbell.

VER.

Cum se purpureo vere remittit hyems. Tib.

I.

En! placido cedens veri nunc frigida bruma
Invito nudos vix pede linquit agros.

Ad patriam revocat, glacie loca stricta perenni,
  Præcipitem Borean flabraque sæva poli.
Imperio parent venti, montesque relinquunt,
  Stridentes valles, et sine fronde nemus.
Tum zephyri subeunt, quorum sub flamine blando
  Montibus ex altis nix resoluta fluit.
Conspicit agrestis redeuntia sidera lætus,
  Et salvere hilari tempora mente jubet.
Solennes iterùm gaudet renovare labores,
  Et stabulis validos ducit ad arva boves.
Mugitu incedunt læto, præbentque volentes
  Hirsuta incurvo colla premenda jugo.
Tum sator occultat Cerealia semina sulcis,
  Accipit et molli terra benigna sinu.
Esto Deus felix! faustos hominumque labores
  Redde, neque huic anno spes labefacta cadat:
Mulceat et segetes orientes aura Favonî,
  Et cadat altricis fertilis imber aquæ.
Maturo foveat sol almus cuncta calore,
  Vestiat ut flavos tempore messis agros.—
Nec tantùm agricolam delectat tempus amœnum,
  Naturæ eximium cum nitet ore decus.
Quæ modò præbebat rapido arbos brachia vento
  Nuda, renascentes explicat alta comas.
Gramineus tenero revirescit cespite campus,
  Inque novas herbas cuncta tumescit humus.

Et, redimita rosis, zephyri pulcherrima conjux
  Fundit odorato florea serta sinu.
Ampliùs haud gaudent stabulorum tecta tenentes,
  Sed repetunt celeres pascua nota greges.
Cornibus adversis luctantur gramine tauri,
  Distenta et vitulis ubera vacca gerit:
Dulcibus et volucres concentibus aëra complent,
  Sub trabibus luteum ponit hirundo larem.
Sæpe autem nubes tenebris glomerantur opacis
  Cælique ex oculis templa serena ferunt.
Tum surgunt venti, densisque nigerrimus undis
  Turbidus effusæ defluit imber aquæ,
Aëra vel liquidum densanti frigore duro,
  Descendunt gelidæ vellera prona nivis:
Aut teneræ sævâ vexantur grandine messes,
  Herbaque canenti disperit usta gelu.

JO. CAMPBELL.

II.

VER tandem æthereo cælo descende benignum,
  Namque diu nimium frigida regnat hiems!
Per montes, quà olim florebant gramina læta,
  Spectamus nitidum, te remorante, gelu.
Audis? namque vocat Boreas en! flamina dira,
  Arctoamque domum, vere subactus, adit.

Inque loco spirat victrix placidi aura Favonî,
Secum fertque æstus, Halcyonisque dies.
Exhaustâ quoque tristis abivit Aquarius urnâ,
Hesperii pelagi jamque tyrannus abît*.
Præceps nunc Aries Pisci succedit aquoso,
Tempora nocturnisque æqua diurna facit.
Sed tamen aspicimus sub sero vespere brumæ
Relliquias; adsunt frigora nocte fera.
At simul in Taurum se sol ex Ariete volvit,
Arbor habet frondes; parturit omnis ager.
Nec gelidis nunc arva videmus adusta pruinis;
Flumina sed currunt non remorata gelu.
Ast Helenæ frater, rutulis quum surgit ab undis,
Purpuream viridi cespite vestit humum.
Taurûm colla jugo submittit gnavus arator,
Infindit sulcos, solicitatque solum.
Jamque recente sator festinat condere sulco
Semina, quæ multo fœnore reddat ager.
Deinde occa insequitur, glebas quæ frangat inertes,
Inque soli gremio semina jacta tegat.
Sat terræ patriæque datum; sis tu, Deus, almus!
Fecundi rores! fertilis aura veni!
Nec non adsitis pluviæ zephyrique benigni!
Luminis auctor ades! temperiemque dato!—

* ——————— tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ.
HOR. *Carm.* ii. 17. 20.

Agri pubescunt variorum flore colorum,
  Et tenues cytisi nigraque myrtus olet;
Hìc calthæ lucent, atque hìc violaria frondent,
  Rustica quæ nullo terra serente gerit.
Frondosa hìc resonant avibus virgulta canoris;
  In ramo volucris tecta laremque facit.
Hìc turdus carmen modulatur vespere sero,
  Hìc merulæ mollis nænia dulce sonat.
Nunc pecudes, præter solitum dulcedine lætæ,
  Linquentes stabulum pascua grata petunt.
Jamque feræ pectus studio exardescit amoris,
  Per totum corpus mobilis errat amor.
Nunc dux armenti mugitibus aëra complet,
  Oppositumque ferox fronte minace petit.
En! ibi subsiliunt, mollique in gramine ludunt,
  Agnorum legio, præda petita lupis.
Agmen certatim percurrit rura beata,
  Nunc imam vallem, nunc juga summa petens.
Cernimus haud aliter frondes volitare caducas,
  Asper quas ventus vulsit odore rosæ.
Est quasi ver roseum florentia tempora vitæ,
  Quod si neglectum semina nulla dabit.

JAC. ROSE.

III.

O Ver jucundum! dic, quâ ratione moraris,
Cur sic deludis spes vanas fortis agrestis,
Qui terram frustrà duram dum vertit aratro,
Posse putat citò telluri se credere semen?
Vixdum etiam, veris prænuncia, Daulias ales
Visa fuit solitas circumvolitare paludes,
Æthere vel puro varios effingere lusus.

Illa dies nobis tandem expectata revisit,
Verque diu populi precibus geniale vocatum
Instat; soliciti jam vota audita coloni.
Nunc Boreas reticet, nec labens montibus amnis
Sternit agros, verrens hominumque boumque labores.
Ætherei subeunt zephyri, atque in montibus humor
Solvitur egelidus, qui nunc florentia tollunt
Culmina. Pastor oves agit atrâ lætus in umbrâ
Sedulò. Agricolæ gaudent, pueri atque puellæ,
Carpere certatim flores. Tunc omnia rident
Rura. Nemus, colles, valles, et prata virescunt.
Arbor amœna comis extendens brachia latè,
Arbustum teneros vix audens tollere ramos,
Orni sublimes, et amictæ vitibus ulmi,
Germinibus turgent, lucent aut flore decoro.
Tum volucres pavidæ modulantur carmina voce,

Perque diem multam errantes gratèque canentes,
In ramis sylvæ patulis se millia condunt.
Protinus effossam convertit vomere taurus
Tellurem, durisque ligonibus excolit arva
Rusticus, et cantu mollit fallitque laborem:
Tunc sulcis credit Cerealia semina longis.
Interea sequitur rastrum, finemque labori
Imponit. Riguus cælo nunc decidat imber,
Et celebret passim magnum natura Parentem!

T. M'Crie.

NILUS.

Nile pater, quânam possum te dicere causâ,
Aut quibus in terris, occuluisse caput? Tib.

I.

Nile pater salve, salve, septemflue Nile,
Commoda dum tenui plectro tua dicere tento,
Aspira cœptis; tuque, O Saturnie rector
Spumantis pelagi, vos Naïadesque decoræ,
Omnes adsitis, canto nunc munera vestra.

Quà surgat, vel terris in quibus occulat almum
Sepositumque diu caput, haud reperire valentes

Antiquæ gentes, decus hoc liquêre Britannis,
Liquerunt penitus divisis orbe Britannis!
Ultima qui Libyæ deserta et inhospita saxa
Lustrantes, tandem sub Lunæ montibus altis
Spectârunt fontem; viridi quoque cespite cinctum,
In Terrâ, veteres uri quam sole putabant,
Privatam domibus; verùm hic septemfluus amnis
Surgit, et irriguis percurrit gramina rivis.
Temporibus certis, undis pluvialibus auctus,
Contractus ripas, celsâ de rupe profundum
Decidit in barathrum torrens; tunc omnia circum
Albescunt spumâ, fragor ingens æthera complet
Longè, tartareis sonitusque auditur Avernis.

Horrificum memorant factum, mirabile dictu,
Incola quod gessit mirante suo hospite: Lembum
Scandit: jactatusque diu spumantibus undis,
Sponte remittit brachia; prono illum alveus amni
Præcipitem rapit in cataractam; territus altè
Hæret spectator, donec procul amne secundo
Incolumem cernit forti cum remige lembum.

Hinc labens flumen concessam munere divûm
Ingreditur zonam, Ægyptumque ad tecta Syenes.
Apparent Thebæ: urbs centum fuit inclyta portis,
Dum portas habuit, sed diruit omnia tempus:
Urbis Thebarum vix fragmina pauca supersunt.

Per totam Ægyptum decurrens murmure lento,
Impellit tandem septeno gurgite pontum.

Ingenii hac terrâ humani sunt maxima signa.
Hìc summo cælum ferientia culmina cono
Pyramidûm spectamus, inania pondera; regum
Injustûm tumulos, quorum nec nomina restant.

Harùm Sextili si ascendas culmina mense,
Nusquam cernis agros, quia tunc tegit omnia pontus.
Nam tu, Nile, tumes, jamque ingens agmen aquarum
Decurrit campos per apertos: oppida tantùm
Apparent quasi montes; sylvæ aut culmina summæ,
Ceu stagnum, densisve palus obsessa salictis.
Ruricolæ capti majori lætitiâ omnes,
Quo minùs agrorum sulcos tumida æquora linquant.
Unda autem fluvii, si non satis obruit arva,
Est metuenda fames: etiam huic industria gentis
Consuluit. Namque hoc metuens felice labore
Effodêre lacum, cohibet qui fluminis undas.
Deficiente amne, hinc agris immittitur humor.

Urbs antiqua fuit, (Graii tenuere coloni,)
Maxima Alexandria, ubi quondam morte cruentâ
Interiit Pompeius, cui est extructa columna
Haud procul a muris, quæ vertice sidera tangit.
Hanc urbem contra, Gallorum bellica classis,

Quæ major numero, inferior sed corde Britannis,
Conflixit noctu. Tormenta tonantia rauco
Intonuêre sono, tellusque fretumque sonârunt;
Cùm subitò in cælum magno raucoque fragore
Gallorum navis rupta est, ardensque ruina
Sidera celsa petit; paulisper et otia pugnæ
Horrida succedunt: tum mæsta silentia primùm
Ruperunt Galli: de integro prœlia miscent
Per totam noctem. Assurgit cum Phœbus ab undis,
Gallica sub pedibus vexilla Britannia calcat.

JAC. ROSE.

II.

MAXIME Nile pater, septeno gurgite volvens
In vada turbatas Pelusia fértilis undas,
Mî liceat tenui celebrem tua munera plectro,
Condecoremque tuo non nobile nomen honore.

Te dicam cælo natum, longumque fluentem
Per terras primâ celebres ab origine mundi,
Qui totam Ægyptum ditas stagnantibus undis,
Induis et lætis limosos messibus agros.

Musa mihi memora, quâ flumina vi alta tumescant
Et superent ripas, latèque natantia rura
Subjiciant fluvio, " rursusque in seipsa residant,"

Arvaque fecundo limo contecta relinquant.
En! spatiis anni redeunti tempore certo,
Ipse Deus, patriis assidens montibus altis,
Sublimi gravidas diffindit vertice nubes.
His effusarum magnum ruit agmen aquarum,
Quas lacubus recipit divus, vastisque latebris
Speluncâque cavâ claudit: cistisque repletis,
Obicibus motis, fluviis urgentibus ingens
Pandit iter. Subitò erumpens cum murmure vasto,
Torrentes impellit aquas per spumea saxa
Et scopulos duros violento tramite flumen.

Rupibus abruptis locus est conseptus utrimque,
Quà via præcipiti fluvio contracta patescit,
Assiduis undis usu longoque cavata.
Finit acuta silex, præcisis undique saxis,
Hoc immane jugum, camporumque æquora plana
Infrà pressa jacent longè. Huc ut pervenit Amnis,
Horret; at instantùm tergo vi pulsus aquarum
Volvitur in præceps, fervensque fremensque videtur
Spumarum cumulis celsas aspergere nubes.
It fragor ad cælum, stupefactaque littora complet
Immenso sonitu; reboat vicinia tota,
Pulsatique vago montes plangore resultant.
Surdi homines fiunt, sonitum nec prendere tantum
Auribus humanis datur, at stupuêre silentes *.

* Vid. Cic. Somn. Scip. c. 5.

Ardua tum linquit, latè camposque jacentes,
Solis et arentes siccis fervoribus agros,
Riparum impatiens, injectis fluctibus undat.
Omnia fugerunt oculis, vestigia nulla
Terrarum remanent, nisi quà sua culmina summi
Attollunt montes, erectave tecta domorum,
Arboris aut vertex apparet in æquore vasto.
Incipit at rursus paulatim sidere flumen,
Fontibus exhaustis, arva oblimata relinquens.
Cûncta renascuntur, renovatis viribus aucta;
Sponte suâ tellus, vix ullo versa labore,
Fert segetes, ultro revirescunt gramine prata.

Nec quæcunque ferunt ripæ miranda silebo,
Nile pater grandis; doctæ nunc musa Papyri
Deposcit laudes; homines quæ prima feroces
Libris instituit venturis tradere seclis
Quæ novêre ipsi; studium sacrumque Sororum
Serorum æterno decoravit honore nepotum.

Aspice nunc cælum ferienta culmina summo
Vertice Pyramidûm, magni miracula mundi;
Nobile regis opus, cohibensque cadavera regum,
Nomina nequicquam mensura superbia quorum
Demens conata est proferre in secla futura.

Tum columen celsum desertâ surgit arenâ,
Pompeii falsò dictum tegere ossa superbi,

Quæ Pelusiacis oris inhumata jacebant:
Est humanarum tanta inconstantia rerum.

Nile vale tandem, nunc te magnum accipit æquor;
Perfectumque iter est; tamen ultima carmina plectri
Laus petit ingenui patriæ præclara Britanni.

Classibus hìc nostris præfectus et inclytus heros,
Præstantes numero Gallos certamine claro
Devicit, rediens superato victor ab hoste.
Dic mihi, Musa favens, possim quî carmine digno
Concelebrare viri laudes, cui nomen ad ipsum,
Attonitis hostes animis pallere solebant.—
Gallica jam classis tutâ secura quiete
Littora stringebat: terrâ, sine lege tyrannus
Cædebat natos, vastabat et arva Canopi;
Puppibus in celsis cùm signa Britannica longè
Apparent, celerique abradunt æquora motu.
Ultor adest vindex, gaude Mareotica tellus!
Nile pater gaude! jam vincula vestra fuerunt,
Imperiumque tuum cecidit nunc, Galle superbe!
En, properante caput sole undis condere pronum,
Prœlia commiscent totis cum viribus ambo,
Et liquidum magnis clamoribus aëra complent.
Nec tormenta necis cessant lethalia ferro
Horrifico vibrare sono; micat ignibus unda;
Crebris cuncta tonant late discordibus armis.

Jamque polos nigro nox atra involvit amictu,
Addit et horrorem pugnæ caligine cæcâ;
Quum subitò tenebris mediâque videtur in undâ,
Inter tigna Ducis regnans Vulcania pestis
Galli: confestim magno se sustulit altè
Quassa fragore ratis; paulisper corda pavore
Strati, per naves tenuêre silentia cuncti.
Pallida sed croceum linquens Aurora cubile,
Primaque conspergens redivivo lumine terras,
Ostendit victos Gallos navesque sequentes
Imperium nostrum: superas tolluntur in auras
Clamoresque virum repetiti et murmura læta.

Jo. Campbell.

III.

Septeno impellens tumefactum gurgite pontum,
  Nile, utinam fluctus des celebrare tuos.
Quis nescit pulchrasque urbes monumentaque celsa
  Ad ripas bibulas structa labore gravi?
Lætificas tostos dulci tu flumine campos,
  Dum lentè luteas in mare volvis aquas.
Difficilis visu per tempora longa latebas,
  Et cæcis tenebris fons tibi tectus erat.
Diffundis fluvios campis per tempora certa,
  Atque humor lætus pronus in arva venit.

Sollicitat remis campos ubi nuper arârat
  Pastor, et aspectat sub pede sæpe domum.
Nec requies donec per campos flumina mittens
  Limo fecundes arva parata diu.
Hinc sata læta virent, crescunt herbæque salubres,
  Ex queis una subest concelebranda lyrâ.
Antiquos herbam fertur dixisse papyrum
  Quæ juxta littus tollit, amœna, caput.
Illa homines animi dotes adhibere docebat,
  Cultûsque ignaris mox patefecit iter.
Pyramidûm moles notæ sunt omnibus altæ
  Quà palmæ nostræ fama perennis erit.
Romani terram dixerunt horrea mundi;
  At nunc paupertas civis in ore subest.
O utinam assurgat vindex alterque Sesostris,
  Qui ponat leges juraque sancta viris!

GULIELMUS CULLEN, *Ætat.* 14.

TERRÆ MOTUS.

——————*Tremuere cacumina Pindi.* PROP.

I.

HEU! quianam tantæ cinxerunt æthera nubes
Sulphurei fumi? cur non jam decidit imber

In siccam terram? cur cessavere perennes
Largiflui fontes, totiesve arsere cadentes
Stellæ, solque rubro velamine contegit orbem?
Nescio quem dirum terræ portenta tumultum
Funesta hæc monstrant. Audin'! percussa fragorem
Dat terra insolitum: pecudes fugêre, volucres
Vitantes pavidæ condunt se vallibus imis.
Territus et pontus, solito delapsus ab alveo,
Pinniferos pisces in nudâ linquit arenâ.
Percussus subiit iterum, dein terra dehiscit:
Quassantes nutant montes, ceu navis in altum
Turbine pulsa fero, quæ nunc spumantibus undis
Jactatur, tandem submerso in murice fracta
Cedit, divulsam rapidus vorat æquore vortex.
Haud aliter montes, vulsi ab radicibus imis,
Culmina disjiciunt volvuntque in valle profundâ.
Quacunque aspicias, nîl est nisi dira ruina.
Hinc labor annorum obruitur, palatia regum,
Templa superba Deûm, monumentaque celsa virorum,
Procumbunt sonitu: hinc, contrà, magalia parva
In terram sidunt, zephyro ceu gleba resolvens.

Sunt parvi hi casus; nam sæpiùs oppida tota
Condit hiatu tellus, momentoque fugaci
Urbes atque homines utero clauduntur avaro.
Audeat unde ergo misero sperare salutem
Lapsuque horrendo mortalis? Montibus? illi
Sunt campo æquati; Campis? ibi terra dehiscit

Absorbere parata; etiam ponti unda profundi,
Concita ceu ventis, veteri jam sede cietur.
Hæc igitur terris quasi lux postrema videtur:
At solium Divi, nullo quassante tumultu,
Stat, stetit, immotum per secla perennia stabit.

JAC. ROSE.

II.

DIRA fuit species, dextrâ surgente gigantis,
  Cum terræ motus concutit omne jugum.
Fundamenta tremunt telluris; ab æthere toto
  Denset, et in nubem cogitur axis aquæ;
Æquora cesserunt retrò; tremuêre carinæ;
  Seque ostenderunt littora nuda maris.
At tandem fluctus erecti littora complent
  Tota, undâ ingenti vi meditante necem.
Ex altoque loco sidens et littora linquens,
  Mons maris atra ruens tendit ad arva viam:
Jamque tegit portus; minitanti vertice muros
  Scandit, et insanis omnia replet aquis *.

* "The destruction of Callao was the most perfect and terrible that can be conceived; no more than one of all the inhabitants escaping, and he by a providence the most singular and extraordinary imaginable. This man was on the fort that overlooked the harbour, going to strike the flag, when he perceived the sea to retire to a considerable distance; and then

O Deus audito! saltem tot millibus unum
  Eripe, qui, quamvis dira, referre queat.
At rapidum rapido super agmine corruit agmen
  A lætis arvis cuncta trahentis aquæ;
Obruiturque urbs; et domuum vestigia nulla
  Restant, lætantur numina cæde maris.
Sed procul a terrâ nunc parvula cymba videtur,
  Solum evasurum quæ capit alma virum.—
Excidio haud simili sed deteriore perîsti,
  Cum cecidere ædes, vasta Caracca, tuæ;
Cùmque soror fratrem flevit, fraterque sororem,
  Uxoresque viri, femina fida virum;
Dum sol inclemens torret sine tegmine civem,
  Vel gravis immiti decidit imber aquâ.
Dic mihi Melpomene, quâ causâ numine læso,
  Hæc venêre ægris tam fera monstra viris.
An peccata hominum tam immania signa vocârunt,
  Vis ubi flagranti sævit ab axe Dei?

swelling mountain high, it returned with great violence. The inhabitants ran from their houses in the utmost terror and confusion; he heard a cry of *miserere* rise from all parts of the city, and immediately all was silent; the sea had entirely overwhelmed this city, and buried it for ever in its bosom; but the same wave which destroyed the city, drove a little boat by the place where the man stood, into which he threw himself and was saved."——*Vid. Burke's European Settlements*, vol. I. p. 263.

Nam certè tellus ultro non gignere possit
  Monstra hæc, secretâ nec paret arte necem.
Sidereâ Dominus qui regnat in ætheris æde
  Non dedit hæc cæcis noscere monstra viris.

GUL. MENZIES.

III.

"HEU! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi,"
Quæve viris cælum variabile dira minatur?
Sæpe malus tristi desidens arbore corvus,
Ter crepuit lævas infausto gutture voces.
Sæpe canis cecinit, miseris latratibus, ingens
Impendere malum: et cælo funesta sinistro
Signa videbantur, quæ tristia fata monerent.
Quid sibi tanta velint incertaque numina divûm
Ignorant homines, perculsi at corda pavore
Expectant mortem, summum extremumque dolorum.

Tum faciem cæli nigrantia nubila condunt
Aëriis tenebris, claram lucemque diei
Ex oculis removent; nec sol e nubibus atris
Nunc valet orbatum radiis ostendere vultum.
At mox ardenti accenduntur ab igne tenebræ,
Quà Pater infestâ vibrat flagrantia tela
Dextrâ, percurrunt rapido quæ lumine nimbos.
Intremuêre poli, reboantque tonitrua rauca
Immenso sonitu cæli terræque frementis.

Aufugêre feræ passim, trepidoque volucres,
Nunc hinc, nunc illinc, radentes aëra motu,
Effugium tentant vano properare volatu.
Confestim raucus fragor est auditus ab imo
Telluris gremio, movet illætabile murmur
Per gentes humiles mortalia corda pavore.
Haud mora, continuo latè perterrita tellus
Intremit, et montes sublimi vertice summi
Nutant evulsi penitus radicibus imis.
Æquora tum lacubus magnis, totumque videres
Misceri pontum, vastisque dehiscere rimis.
Littoris impatiens, altè freta concita motus,
Nunc submergit agros urbesque tumentibus undis,
Destituitque novas medio nunc gurgite terras.
Hinc miseros cives premit urbs turrita ruinâ,
Devorat hinc proprios natos perterrita tellus,
Obruit atque alios trepidis sub fluctibus æquor.
Hic puerum luget, charum vocat ille parentem,
Et resonare docet vanis plangoribus auras.
Hic miserâ uxore, hæc erepto conjuge sævit:
Tempore nec longo sævit, nam terra dehiscens
Immiti pariter gremio mox accipit ambo.

Jo. Campbell.

IV.

Dic, age, Musa mihi, quî tellus sæpe dehiscat
Ingenti motu; trepidant quando omnia circùm,
Concussæque cadunt urbes, montesque soluti
Naturæ vinclis nutant, et culmina celsa
Ad terram inclinant, imis penitusque cavernis
Dant sonitus; strepitu rauco fragor æthera complet:
Num furit occultus ruptus Vulcanus habenis?
Aut cùm (namque canunt vates) sua commovet ingens
Pondera vasta gigas, (olim quem Jupiter altus,
Cœlos tentantem, fertur trusisse sub Ætnam,)
Nati mole sui tellus turbata tremiscit?
Aut——tenuis sed ego cur audax grandia tento,
Hactenus ingeniis nunquam comperta sophorum?
Etsi causa latet, tamen O, quàm dira sequuntur!

Quà patet occiduo tellus ditissima soli,
Divitiis, gemmis, pretioso insignis et auro:
Floruit urbs quondam, sed nunc jacet obruta, mœstæ
Nunc tantùm remanent, fati monumenta, ruinæ.

Namque dies aderat, cùm omnes ad limina sacra
Convenere Dei cœtu juvenesque senesque,
Uxoresque suos natos, natasque ferentes

Secum, et rugosæ vetulæ innuptæque puellæ.
Sanctus et intrârat DOMINI jam templa sacerdos,
Ac duplices tendens supplex ad sidera palmas,
Æternum cæli Rectorem in vota vocabat:
"Conticuere omnes, intentique ora tenebant."
Tum vehemens subitò confususque undique stridor
Auditur; reboant commota tonitrua cælo,
Rupto missa polo rutilas per nubila flammas
Fulgura dispergunt, resplendet et igneus æther.
Percita et insolito motu conterrita tellus
Intremit; et quamvis validis sustenta columnis,
Jam tecta incipiunt templi titubare: Pavore
Perculsi surgunt cuncti, quæruntque salutem
Effugio: et certè pars quædam erepta periclo,
Adjutante Deo, ad campos nunc tendit apertos.

At ruit interea devexo pondere præceps
Plures involvens templum, graviterque procumbit
Motantem in terram. Reliqui sed lumina vertunt
Ad sedes notas, mœsti, bene notaque tecta.
Jam tantùm aspiciunt quassas dirasque ruinas:
Quà stetit urbs dives, domibus decorata superbis,
Hic lapidum jacet avulsorum diruta moles,
Illic fatali vi fracta columna labascit.

Nec minùs, ad comites flectentes ora, queruntur;
Uxor nequicquam fidum carumque maritum

Poscit, et uxorem vir tristis plorat amatam:
Pignora cara pater multùm frustràque laborans
Quærit, et absumptos soboles orbata parentes.

Cùmque hæc tam sævos luctus secum aspera clades
Afferat, O Britones, memori persolvite grates
Corde Deo, patriam vobis qui præbuit, omni
Ab talis casûs longè terrore remotam.

D. K. SANDFORD.

V.

NUNC Pater Omnipotens trepidantis viscera terræ
Terribili dextrâ concutit atque polos.
Haud aliter montes saliunt cum murmure rauco,
Quam ratis in scopulos fluctibus icta ruit.
Florentes nutant urbes, opibusque potentes,
Pars æquata solo, pars resupina jacet.
Continuò miseri pallent formidine cives,
Magnanimusque heros, sponsaque cara pavet.
Desertis natis, fugiunt, instante timore,
Frustrà clamantes, O miserere, Deus!
Nam vix transgressi portas, vix tecta domorum,
Cum sorbet tellus gurgite, et omne silet.
Sed quoque terrificum surgentibus æquora motum
Fluctibus accipiunt, tectaque pulchra tegunt.

Cur ego commemorem ut fluvii refluentibus undis
Errent, et fugiat fontibus unda suis;
Ut volucres pavidæ ostendant instantia fata,
Protinus ex oris incolumesque volent?
Hæc mala tu quondam sensisti, Olysippo, simulque
Numinis alta cadunt oppida quassa manu.
Haud pridem monstravit justa doloris et iræ
Indicia, et populi crimina magna luunt.
Nunc igitur meritas persolve, Britannia, grates
Illi qui torquet numine cuncta suo,
Qui, procul a motu, felici sede locavit,
Fundere nec cessat munera larga tibi.

T. M'Crie.

VI.

Nunc mihi fert animus naturæ accedere partes
Arcanas; tenuis primùm sublimia conor,
Ad cælum trepidâ vectus velociter alâ,
Te, Terræ Motus, dum audaci carmine dico.

Musæ paulisper dulces, Helicone relicto,
Præsentes operæ, in pectus descendite lætæ,
Atque meum ad finem gratum deducite carmen.

Monstrum informe, ingens! quâ possum dicere causâ
Nasci? curve novis tremuerunt motibus alti
Montes, atque imis terræ fremuêre cavernis?

Ut fama est, cælo in celso Titania proles
Tentavit manibus monti conjungere montem;
Adversusque Jovem bellum divosque potentes
Impia conflavit; cæcos dominator Olympi
Præcipites cælo torsit, vastisque ruinis
Obruit amentes, qui in Divos arma tulissent,
Matre sub ingenti trudens immania monstra:
Hinc ubi, defessi telluris pondere vasto,
Dant gemitum ingentem, et tardi sua corpora vertunt;
Tunc tellus horret, longè pelagusque recedit
A terrâ, fundi penetralia nuda relinquens.
Tunc iterum fervens, insano et vertice cuncta
Contorquens, repetit ripas, littusque sonorum
Sub pedibus trepidat, violentis ictibus undæ.
Nutârunt montes, altæ, velutique paventes,
Sylvæ motantur; cœpit tunc aridus altis
Montibus audiri fragor, atque sonore tremiscunt
Colliculi. Reserans tellus ingentia tandem,
Ostia tunc subitò tremit, et penetralia nudat.

Quam vasto magnas urbes absorbet hiatu,
Abdit et immensis antris, Hispanica tellus
Exemplum præbet lugens, urbs maxima cujus
Est æquata solo, magnove vorata barathro.
Redde Deo grates memori tu corde, Britanne,
Avertit nobis qui tot discrimina rerum.

E. PINKERTON.

VII.

QUANAM de causâ nunc iras fervere dicam
Divorum, campis quæ tristia damna tulêre,
Florentesque urbes subitâ absorpsêre ruinâ ?

Musa mihi causas memora, cur terra tremiscit
Ingenti motu perterrita, celsaque Pindi
Cur tremefacta imis penitus fremuêre cavernis:
Aut cur abruptis fervent turbata procellis
Æquora, dum venti ponuntur, ad astraque volvunt
Immanes fluctus. Num alti tetrique gigantes,
Monti suppositi, quos partu terra nefando
Edidit, ex antro dum tentant surgere tristi,
Connixi motus tales fecêre sub Ætnâ ?
An de celato sub terris igne perenni,
Qui nimium inclusus, diffisso erumpit hiatu ?

Hei mihi! quàm miseret crudelia fata referre
Horum, qui ardenti nimium sub sole jacentes
Perpetuò metuunt motum telluris hiantis.
His res securæ desunt, et patria cara,
Semper pro natis metuunt et conjuge amatâ,
Ne secum subitò tellus in viscera condat.
Aëra jam videor nigrantem nube videre,

Latè et splendescit damnosis ignibus altus
Æther, jamque undis sævis maria alta tumescunt,
Diro cum subitò cælum sonat omne fragore;
"Præsentemque viris intentant omnia mortem."
Campus hiat, cunctis præcordia percutit horror,
Sponsarum exoritur gemitus, clamorque virorum,
Hic pater imbelles natos sponsamque requirit,
Plorant hic parvi nati matremque patremque:
—At citò cuncta silent, absorpsit jam omnia tellus.

A. Connell.

V.

Quid faciat terræ motus haud convenit: hac re
Non eadem cunctis placuit sententia doctis.
Antiqui motus effectos esse putabant
Speluncis terræ celato ex aëre multo,
Qui valde penetralibus ignibus extenuatur,
Nullo abituque invento cuncta repagula rumpit.

Præcedunt motus tranquilla silentia terræ;
Mox tumidum surgit, fundoque evertitur æquor;
Miscentur fontes, luteum ejiciuntque liquorem;
Veloces et avis perterrita concutit alas,
Instantis tanquam funestæ conscia cladis.
Cum strepitu accedit motus, ceu rauca rotarum
Murmura vel tonitru; tellusque subinde levatur,

Seu sursum versus, seu ultroque citroque movetur,
Horæ momentum motus vix permanet unus.
Motibus interdum illis efficiuntur hiatus,
Qui flammas emittunt alta ad nubila claras;
Sæpiùs et tellus hiscit, rursusque cohæret,
Ore alios avido excipiens, aliosque coercens
Per medium captos: ædes statione moventur.

Exitio olim strata est Lusitania diro;
Nam terræ motus fundo dejecit ab imo
Urbem præcipuam; miseri periêre coloni.
Tale malum Limæ funestum contigit urbi;
Interiêre omnes; homine uno sospite tantum.
Is fuit in castro, quod portum aspexit ab alto:
Ex domibus vidit magno terrore ruentes
Cives; et mare decedens remeabat in undâ
Immensâ, subitò gremio quæ condidit urbem.
Ast eadem lintrem admovit quæ diruit urbem
Unda; in quem se conjecit, tutusque refugit.

Petrus Douglas, *Ætat.* 14.

LAUDES CALEDONIÆ.

Ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit.
TAC. VIT. AGR. c. 31.

I.

SCOTIA, natalis, felix, interrita tellus!
Mî liceat, quamvis indigno carmine, laudes
Condecorare tuas, non nullo vate diserto
Ante celebratas, quorum sublimia corda
Non datur ingenio assectari posse minori.
Sed tamen insignes poscit cum patria vires,
Vos, O Pierides, precor, adspirate canenti;
Nec mihi sit vanus vobis labor acer iniquis.

Itala bis tellus flavescit messe quotannis,
Bis gravidæ pecudes, curvant bis pondere ramos
Poma, bis et radiis maturis cocta leguntur:
Vitibus est melior, Baccho gratissima tellus,
Gallia; et Hispani canentia vellera mittunt,
Aureaque a viridi semper lecta arbore mala,
Quam nivei flores decorant fructusque rubentes
Unà, jucundis et odoribus aëra complent.
Fert ebur albescens, ebenum fert India nigrum,
Pinguia thura ferunt felicia rura Sabæûm,
Unde per immensam funduntur munera terram.

Sed neque quos Rhodanus velox, aut lentior ambit
Quos Araris campos pingues, undæque Garumnæ,
Fertilis et Latii messes, et Iberica lana
Laude Caledoniæ certent, neque Gange rigata
India, nec nardi Panchäia dives aristis.
Nam Dea Libertas posuit certissima regna,
Largâ diffundens pretiosa, hìc, munera dextrâ;
Nec comes hujus abest cum pleno Copia cornu.
Hinc tuus omnis honos, hinc omnia, Scotia felix,
Queis bona nunc frueris. Semper viridantia prata,
Nec nimis est gelidum, nimiùm nec sole propinquo
Intolerabilius cælum, sed utrinque reductum.
Nunquam deficiunt rapido labentia cursu
Flumina, quæ riguis inducunt gramina campis,
Murmure jucundo per leves acta lapillos.
Montibus innumeræ pecudes pascuntur opacis,
Permultisque boum resonant mugitibus agri.

Si non dumosas decorant myrteta latebras,
Collibus apricis neque crescit dulcibus uvis
Vinea, sub pedibus refluunt neque pinguia musta;
At secura quies, et vallibus otia tutis,
Et patiens operum, contentus et incola sorte,
Quem magis ob montes delectat patria tellus,
Et magis ob frigus, quod velat culmina, cælum.
At rabidæ tigres absunt, sævique leones,

Nec trahit immensos per humum orbes horridus anguis,
Ore nec infesto fatalia vulnera figit.
Montibus at surgit procero vertice pinus,
Quercus et infixis altè radicibus hærens,
Robore ab hostili quæ patria littora servant.
Oppida consurgunt atque urbes undique claræ,
Mercibus externis, operis, atque arte celebres;
Gaudia quà spargunt et opes, commercia, gratas.
Implentur malis portus, ubi silva videtur
Horrida laxato velorum pondere pressa;
Turba autem strepitusque virûm, festivaque nautæ
Murmura ubique sonant, cùm jam terrasque relinquit,
Explicat et ventis fluitantia vela secundis.

Æquora quid memorem quæ complectuntur utrinque?
Quidve lacus tantos? te, magne Lomonde, marinis
Fluctibus adsurgens cælo; et te, Nessia dives,
Navali resonans strepitu, jamque utilis arti?
Quid memorem montes, hæc propugnacula terræ,
Quæ, data naturâ, nunquam victricia Romæ,
Orbem cum reliquum potuissent vincere totum,
Arma penetrabant. Hinc bello vivida virtus,
Et patrios imitans mores generosa juventus
Increvit, duros animos assueta labori,
Nil vitam pendens, fugiens discrimina nulla,
Æquore seu poscat, seu terrâ patria vires.

Nec minus effulget seniorum gloria patrum,
Quorum tutatur sacras sapientia leges
Regnaque, procumbant ne vi subversa nefandâ.
Hinc cùm tota jacet fumans Europa ruinis,
Sanguineis passim rivis cùm terra madescit,
Agricolæque inopes infesta ad bella trahuntur,
Quos miseranda uxor, tectis depulsa domorum,
Cum pueris parvis nequicquam luget ademptos,
—Talibus una caret lacrimis hæc terra beata.

Hæc loca et antiquûm genuêre, et multa recentûm
Fortia corda virûm, quorum sua semper honores
(In freta dum fluvii current, dùm saxa repellent
Oceani fluctus illisos littore curvo)
Scotia quæsitos, memori sub mente tenebit.
Ecquis, Scotorum, nescit te, prime virorum,
Galgace, qui adverso quamvis obsistere fato
Non poteras, animus tamen et tua mascula virtus
Venturi patriæ posuit fundamen honoris.
Hunc imitans, hominum post secula multa caducûm,
Patria cum gemeret duri sub lege tyranni,
Est ortus *, juga qui vindex exosus acerba,
Civibus oppressis retulit sua propria jura,
Injustis et rapta dolis sibi regna paterna.
Nec comitem magnum † vocalis Musa silebit,

* Robertus de Bruce. † Wallace.

Semper honoratum, semper laudabile nomen.
Montibus in lætis tu fortia ad arma reclamans,
Servitio turpi sopitos, prime, citâsti
Cives, suaserunt primùm tua classica pugnas.
Invidus at meriti vesanus livor honoris,
Egregiâ lauros detraxit fronte decoras,
Tradidit et turpi, meliori funere dignum.

Semper erunt testes virtutis et ipsa Corunnæ
Mœnia; dum stabunt, nomen famamque fovebunt
Cujus habent cinerem, dextrâ servata potenti.

Nunquam erit herois dives Nilotica tellus
Immemor Ægyptos, pro libertate cadentis,—
Summa sed illius victoria fata beavit.

Fertilis hæc eadem ingeniis doctisque poetis.
Est huic, naturæ tempestatumque peritus,
Frigora qui * brumæ, rabiemque æstusque leonis,
Et flavum autumnum, et placidè ridentia veris
Tempora, divino depicta in carmine liquit.
Est, qui † sublimes animos erexit aratro,
Hausit et impavidus Thebani munera fontis,
Dum lætæ Aonides natum salvere juberent,
Tempora cingentes insignia fronde perenni.

* Thomson. † Burns.

Est, qui * commemorans ætatis gesta peractæ
Priscorumque patrum mores, et tempora prisca,
Obtinuit nomen victurum in secula sera.
Carmine nec nostro meritâ tu † laude carebis,
Qui Spem mærentis cecinisti mentis alumnam,
Undas sublimi, nunc, majestate per alta
Saxa ruens rapidas, montano vortice torrens,
Omnibus attonitis, querulus, nunc, murmure rivus
Lene susurranti per mollia prata relabens.
O si pars animi mihi, sicut nominis, esset,
Scribere digna cedro sperarem carmina posse!

Ante oculos igitur hæc exemplaria ponens,
Quid decet ut faciam, tantis majoribus ortus?
Si mihi non datur illorum contingere famam,
Conspicuumque locum præclaros inter habere:
Efficiam quod potero ad fas et jura tuendum
Inviolata patrum, tellurem opibusque juvandum
Natalem nostris, si forte sit indiga nostri.
Servitium quodam si casu, tempore duro,
Immineat, minitans juga sæva et vincla nefanda,
Non metuam mortem, non ulla pericla recusem,
Ignavus, timidus, turpis, malus, immemor horum
Pugnantes patriâ quos non cecidisse pigebat

* Scott. † Campbell.

Omnibus in seclis, heroum mascula corda!
Sed patriæ pietas animet, sed dulcis amœnæ
Libertatis amor; subeamque aut nobile lethum,
Nobilis aut vivam, legum tutela sacrarum,
Nec mihi dedecori vertatur nomen avitum.

Jo. CAMPBELL.

II.

VATIBUS Ausoniis Danaisque valete faventes
Musæ olim, myrtus laudetis olentibus umbris,
Et viridi coctos pendentes colle racemos;
Regna Caledoniæ dulcissima dicere cantu
Nescitis: Quis enim versu cantare decenti
Purpureos colles, et prata virentia, purus
Rivus ubi placidè flavi subrepit in umbrâ
Sparti, aut jactat aquas alto de vertice saxi,
Quamvis nota, queat? renuunt ignota Camenæ.

Musa mihi Patriæ chordas impelle timenti,
Dona tuæ recino telluris, ubi atra venena
Non unquam dedit ore draco, nec naribus ignem
Evomuit; nunquam catulis orbata leæna
Clamore implevit campos, non incola lætus
Aut timuit tigrides, dentesve Libystidis ursæ.
At vaccæ, lentique boves de gramine læto

Defessis pedibus redeunt, mugitibus auras
Implentes, plorat matrem tener agnus ademptam.
Durior hic nullus sonitus diverberat aurem,
Nî quando festum rediens advexerit annus
Natalemve diem regis, lætive triumphi
Magnanimi ducis. In campis, tum, et montibus altis
Tormenti matrem terram radicibus imis
Concutiens fragor auditur, reboante tonitru;
Qui revocat memori famamque et nomina menti,
Et simul acta virûm. Forsan, fortissime, dicit
Virtutemque tuam *, cum audaciùs obvius hosti
Ibas quam Spartanus homo, mentemque celebrat
Pro patriâ moriens ubi læto lumine palmas
Ornâsti: Aut illum recinet qui, ubi vincla tyranni
Non benè sueta jugo stringebant colla virorum,
Surrexit, sævis pugnavit, vicit et hostes,
Et dedit ejecto regi regnumque parentis,
Et Libertatem populo. Quanquam occidit ille
Insidiis, nomen per secula cuncta manebit.

Intonsæ frontis montes saxosaque tesqua
Effingunt vires herois; flumina, sylvæ,
Collesque incutiunt patriæ telluris amorem.
Vallibus in gelidis undas sua flumina volvunt,
Silvisque umbrantur quercûs, florentis ericæ

* Moore.

Saltibus intecti colles, saxosaque circum
Littora nunc Zephyri ludunt, nunc fronte superbâ
Fluctus surgentes Dominam testantur aquarum.

Non Itali, Persæ cultores orbis Eoi,
Non Nilus quondam dives, septemfluus amnis,
Nec res Attalicæ, aut Afri sitientis arenæ,
Nec Tagus auriferis ripis, nec Gallia certent
Laude Caledoniæ. Felix O sorte, colone,
Illis cui cecidit sub montibus! ante coruscum
Titanem exsurgis, lætoque labore peracto,
Ad casam ubi conjux, et ubi sunt pignora cara,
Non animo lasso, tua membra labantia flectis.
Dumque parat cœnam uxor, circum oscula nati
Pendent, participes risûs in fronte, beato
Te gaudent, miserum te lacryma plorat acerba.

Dic mihi, quî pueris pietas tanta, unde petita
Hæc mens digna viro, dum nescia permanet ætas?
Libertas reserat cordis penetralia! sentit
Lætitiam subitò, sentit citiùsque dolorem
Conscia mens recti, retinent ubi vincula nulla.

O Dea Libertas, cordi dulcissima rerum,
Quid tibi commaculet vestem vultumque decorum!
Non vis naturæ faciet tua ferrea sceptra.

Tecum habitem, tecum paupertas aspera grata est:
Nullius at sine te præcelsa palatia regis
Divitiæque intacti Arabis, peregrinaque mundi
Regna Novi possunt dare gaudia digna tenenti.
Hæc tibi sit sedes, dilectaque patria semper,
Omni posthabito populo; felixque propago
Grata tibi cumulet largis altaria donis.

O mihi terra patrum! cordi super omnia cara,
Accipe nunc votum; si dira pericula forsan
Obveniant Libertati, seu legibus æquis,
Sive sacris, et frangatur concordia terræ
In quâ natus eram, quæ sustinet omnia cara;
Stat mihi dum potero, dum strenua fulciet ætas,
Conservare æquas leges et candida sacra.
Propugnent alii, ponant tentoria Martis,
His non suetus eram; tamen ignea ferre libenter
Mens spernet leges libertatemque minutas.

Hoc votum Scoti semper de pectore fundant,
Ales et æthereus librans se in vertice cæli
Jussa Dei referat, Sit libera Scotia felix,
Dum mare, dum tellus, dum sidera celsa manebunt!

Gul. Menzies,

III.

Concelebrent aliæ gentes Panchäia rura,
Arvaque Gangetis surgenti subdita Phœbo,
Aut Tmolum viridem, croceos qui spirat odores,
Et ditata Midâ Pactoli stagna rubentis
Aurea, volventis rutilum cum fluctibus aurum:
Aut Durii celebrent vernantes fertilis agros,
Hispanosque viros, genus intractabile bello;
Regnaque Gallorum humectat quæ lympha Garumnæ:
Cara Caledonio magis est sua terra paterna,
Carior est collis rigidus, fluviusque sonorus,
Omnibus his terris, ubi trux sine lege tyrannus
Opprimit infaustos populos, ubi jussa magistri
Festinat servus, nec quisquam ex agmine toto,
Detrectare jugum, libertatemque colonis
Reddere, et indignos reges depellere tentat.
Quamvis non foribus surgant huic tecta superbis,
Nec sese ærato stridentes cardine postes
Vertant, nec luxu regali mensa gemiscens
Accipiat vini semper convivia læta;
Quamvis miretur vestes non turba decoras,
Nec servi immites crudelia jussa facessunt;
At non consumit mordax præcordia livor,
Non agitat pectus auri insatiata cupido.

Vix Titan oriens e ponto assurgere cœpit,
Cum placidum lectum linquens, atque aëra spirans
Sanum, festino gressu terit arva beata.
Cum sol occiduus crescentes duplicat umbras,
Ad tectum rediens limen procul aspicit almum,
Inque aditu natos carâ cum conjuge stantes:
Longè dispiciunt patrem, vultuque triumphans,
Quisque volat, properatque domum deducere fessum.
Jamque redux tandem calidum subridet ad ignem,
Conspicit et natos genibus se tollere lætos;
Dum mensâ conjux epulas ostentat onustâ,
Sermone et vario tentat producere noctem.
Sic vitam, curis expers, in montibus illis
Transigit excelsis, ex omni parte beatus.
Te, Dea Libertas, solam te gratus adorat;
Pro te vel rapidas audet maris ire per undas,
Quamvis terra tremat vibrato fulmine quassa:
Pro te vel cunctis caput objectare periclis
Audet, et ingratos homini perferre labores.

Otia sic degit; sed quum dat rauca cruentum
Buccina militiæ signum, descendit ab alto
Vertice castra petens, natis sponsâque relictis.
Fortis et invictus statuit cohibere priorem
Hostem, atque e campis iterum depellere tutis.
Concurrunt acies, it clamor ad æthera magnus,
Et fluvii currunt ad pontum sanguine rubri:

Gaudet equus pugnâ, campoque jacentia passim
Corpora conculcat pedibus, volitatque per agros
Sanguine respersus: terrâ nunc agmina tota
Strata jacent, sterilique cruor profusus arenâ.
Nunc hi nunc illi fugiunt, campoque repulsi
Vincuntur fœdè, aut redeunt in prœlia victi.
Pro domino hi pugnant miseri sævoque tyranno.
Non animat vires, dextræ non roborat ictum
Conspectus civis, nec laudum immensa cupido.
Illi pro patriâ certant domibusque paternis,
Dulcibus et natis, et regno, et conjuge carâ;
Instimulat mentem ductor civesque videntes.

Nunc autem, cupidus præstantia nomina quondam
Cantare, indomitos Heroas dicere versu
Incipiam: solers, O Musa, faveto canenti.
Aspice! præcellens cunctos Vallatius heros
Surgit, qui constans inter civilia bella
Stabat, et invictus semper; qui ductus amore
Ingratæ patriæ, per tot certamina belli
Impavidus vixit, nec segnis ab hoste recessit.
Hostibus invisis cum diffugêre timentes
Cives, et patriam liquêre et dulcia tecta;
Solus pro patriâ dubium certamen inivit,
Solus victor erat, rediens ex agmine rubro.
At tandem, heu facinus! contemnens jura scelestus
Hunc hominem magnum—sed cetera Musa recondat;

Quam fuit indignum meritis tam funus acerbum!
Nunc jacet in longâ positus meritâque quiete:
Ad tumulum mœsti lacrymis accedite, Scoti!
Hunc sequitur Brucius magnus bellique peritus,
Hostem qui regno pepulit, pacemque benignam
Restituit populo forti, rexitque beatus.
Cur alios memorem magnos? qui finibus illis
Præstabant populum immunem, firmique manebant
Temporibus dubiis; ceu cùm pendentia saxa
Fluctibus urgentur, volitantque per æthera spumæ,
Ipsa immota manent, rabido pontoque resistunt;
Pro te pugnabant fortes ita, Scotica tellus,
Pro te tot casus et tot discrimina rerum
Sustinuêre boni, sibi præmia nulla petentes.

Quamvis sunt duri montes, præruptaque saxa,
Quamvis non ridens dulci latet uva sub umbrâ,
Nec tua sollicito dant arva libentia fructus
Agricolæ, facies nec cæli est semper amica;
Carior es animo quàm fulvî vasta metalli
Copia, quàm regnum florens, regumque triumphi,
Aut gravidæ pecudes per dulcia prata vagantes.
Estne homo qui patriam temnit, dissuasor honesti,
Qui non defendens servabit sanguine fuso.
Intrepidus, risu permulcens frigora mortis?
Huic homini quamvis spatiosa palatia surgant,

Immensumque solum centeno vertat aratro,
Atque illi indigno populus committat honores:
Attamen haud ulli celebretur in æva futura;
Nec cum procumbet languens, vitâque recedens,
Ulla manus blandè morientia lumina condat.
Salve, terra patrum, salve, dulcissima tellus!
Te quanquam positus nimiùm sub sole propinquo,
Aut quà mortales penetrabile frigus adurit,
Te patriam dulcem, te gratus semper amabo.

E. PINKERTON.

IV.

SALVE, magna Parens; salve, felicibus oris
Diva Caledoniæ semper fidissima custos!
Laudes ecce tuas meliori carmine dignas
Hinc canere incipiam, et tenui deducere plectro.
Rejice nec, Mater, nati tentamen ineptum,
Pectore dum grato mea patria rura celebro.

O natale solum, mihi te non dulcior ulla
Terra patet Phœbo; neque tellus thuris abundans,
Eoæ sedes Arabum, Nabathæaque regna;
Gallia nec dives, frondosis vitibus alma,
Ebria qua spumant calcatis prela racemis;
Nec fines Italûm illustres, Saturniaque arva,

Et quondam domitrix terrarum Roma superba.
Ausoniam quamvis cecinit citharâque potenti,
Aptavitque lyræ invidit queis doctus Apollo
Carmina Virgilius, nulli, tu cara, poetæ,
Scotia, concedens, justum retinebis honorem.

Non sanè hic rerum genitrix Natura profundit
Fecundante sinu, tot mollia gaudia, vitæ
Delicias, agris quot cælum mitius affert.
Nam pro mulcentis Zephyri genialibus auris,
Sæpius immitis flatu bacchatur iniquo
Aut Notus, aut Boreas, aut stridens Eurus ab ortu.
Hìc nemorosa juga, et scopuloso vertice montes
Continuo juncti surgunt ad sidera nexu.
Sed tamen invenias viridantes gramine valles,
Quà pulchras urbes jucundâ interluit undâ,
Obliquum currens sinuoso tramite, flumen :
Vestitique suis florentes messibus agri
Sparsim, suppeditant Cerealia munera largè :
Et quæ Diva negat Naturæ, repperit audax
Mercator, dubii subiens discrimina ponti,
Omnia et intrepidus pro quæstu littora visens.
Atque etiam si illi, queis vitæ causa voluptas,
Forsitan hìc luxûs frustrà conjuncta requirant
Gaudia pernicie, tamen omnia munera abundant
Exoptanda bonis, naturæque unica dona
Quæ fato major sibi virtus inclyta poscit.

Scilicet hinc usum gnavus patiensque laboris
Agricola acquirit. Stimulat mortalia corda,
Ipsis docta malis, varias conducit ad artes,
Et callem veri divina Scientia monstrat.

At quum luxuria incubuit, mentique virili
Insidias struxit blandas, et inertia vicit.
Tum quoque deficiunt vires, et protinus illi,
Quos trahit, effrenes, cæcis erroribus acti,
In scelus omne ruunt invisum dîsque virisque.
Haud aliter stulti comites sapientis Ulyssei,
Potavêre magæ malè sani pocula dira,
Mentibus amissis quos turpe suile recepit.

Sic cecidit nutrix heroum Gallia quondam,
Virtutis sedes, doctrinæ clara magistra;
Nobilis arte olim, studio, cultuque Sororum.

At contrà nimio tu Scotia libera luxu
Et famâ frueris nunc clarâ, semperque frueris.
Nam tibi sunt fortes nati, assuetique labori,
Quos animat patriæ pietas, caræque perennis
Libertatis amor, laudisque immensa cupido.
Quos nec militiæ metuenda pericula duræ,
Nec mors vulneribus terret properata decoris.

Ille audax, testis, non unquam territus Heros,

Temporis antiqui, exemit qui compede durâ
Servitii, impatiens domini, natalia rura.
Et quum nec numeris, nec vi superante tyranni,
Perfidiâ fœdâ crudeli est proditus hosti,
Non animam patriæ renegavit cedere caræ,
Omnia et obtinuit mansurum nomen in æva.

Atque etiam, quamvis "retro sublapsa referri
Et ruere in pejus" naturâ multa videntur,
Intemerata patrum descendit gloria vivax;
Magnanimûm genitrix heroum Scotia mansit.

Illius natum conspexit Iberia nuper,
Gallos extremâ victorem fundere vitâ.
Haud indignum ipsis jactat sociâsse triumphis
Nelsoni comitem *; ad ripas, septemflue, pingues,
Nile tuas, veniens cui mors redimita virenti
Fronde, dedit palmâ victrici insignia fata.
Te peregrina tegit distanti littore tellus,
Magne senex! refovet gremio nec terra paterna;
Nomini at in patriâ restabit fama superstes,
Et fato ereptus plorantûm in pectore vives.

Quum produxit adhuc heroas inclyta tantos
Vestra Caledonia, exemplo vos discite Scoti!

* Abercromby.

In vobis videat renovatas patria prisci
Virtutes ævi, nec jam desideret illas
Cum claris pariter raptas majoribus; ætas
Floreat hæc præsens, imitans quoque gesta prioris.
Vos, quibus est annûm meliorum læta juventus,
Est quibus in bello splendentis nominis ardor,
Hostes externos arvis propellite tutis.

Sed quibus est potius tranquillam ducere vitam,
Et procul à castris armis rabidisque remotam;
Vobis, et patrum leges servare vetustas
Cura sit, et populi carissima jura tueri,
Sincerumque Dei cultum, longeque relictas
Temnere delicias, turpis mala gaudia mentis.
Hæ tibi erunt artes; sic, Scotia, gloria patrum,
Qualis ab incepto processerit, usque manebit,
Natorum vitiis nunquam maculata pudendis.

D. K. Sandford.

LYRICA QUÆDAM

ET

BREVIORA.

MILITIÆ LABOR.

Rege Saturno patre, quisque vixit
Sorte contentus, sine legis usu,
Et fidem et rectum populi colebant
Judice nullo.

Torserat nondum catapulta tela,
Nec fuit cassis, clypeusve fulgens,
Nec ferus duro faber arte sævum
Duxerat ensem.

Nunc at immitis ciet atra bella
Orbe Mars toto, resonantque passim,
Ferreo regno Jovis, execrata
Matribus arma.

Mille circumdant hominem pericla,
Quem juvat cornu lituique clangor,
Atque flagranti medios per hostes
Rumpere pugna.

Jo. Campbell.





KALENDÆ JANUARIÆ.

Signa sol fulgens iterum peregit,
Atque adest læto novus annus orbi,
Jamque cum festis veniunt diebus
Annua sacra.

Gaudio implentur strepituque cuncta,
Et joco blando; resonatque passim
Tibiæ dulcis, citharæque lætum
Murmur amœnæ.

Pars vagis ducunt pedibus choreas,
Carmina et festo modulantur ore;
Pars dapes curant, cumulantque multo
Pocula Baccho.

Sic solent mortem brevis hujus anni,
Illius partum celebrare mult :
Mente qui versat, meliore sese
Occupat arte.

Fert ad annum lapsum oculos dolentes,
Perditas horas sibi sæpe lugens,
Morteque in mentem revocans ademptos
Tristis amicos.

Lætior spectat venientem at ore,
Mente contristans onus amovetur ;
Namque stat rectam scelerisque puram
Ducere vitam.

Jo. Campbell.

ATHENÆ.

I.

Ascendo rupem plurima quæ imminet
Urbi ; et potentis mœnia Palladis
Perlustro ; me circum caduca
Templa deûm speciosa nutant.

Hæc sunt Hymetti purpurei juga ;
Ægina, contrà, natio bellica ;
Tellusque, quà pugna redivit
Frons Danaûm redimita lauro :

Subterque, quondam templa celebria :
At nunc virescens saxa coinquinat
Muscus ; ruinosum manetque
Ignibus et sine cæde fanum.

Hæc urbs Athenæ, Persica millia,
Obnixa, quæ olim viribus obruit,
Ostendit et quî solveretur
Græcia servitio prementi !

Nunc, quando vinclis ambitio premit,
Mutata quantum est !—Unda vel amnium
Ripas refugit assuetas,
Servitium ob pudibunda gentis.

Jac. Rose.

II.

Qui vos, Athenæ, dic mihi, carmine
Dignè celebrem, queis Aganippides
Virgoque bellatrix Minerva
Præsidet. Acropoli supernâ

Astans, Hymetti celsa cacumina
Aspecto, carpit quà ingeniosa apis
Flores olentes.—Verto ocellos,
Aspicioque solum, ferox quà

Cognovit hostis Persicus irritas
Instare classes, mens nisi provida
Intersit. Intùs quot superbæ
Magnificæque domus videntur!

Quot signa famæ lucida sunt tuæ!
At grata menti quam citò somnia
Evanuerunt, quamque parvo
Tempore sacra manet figura!

Jam nunc relinquens alta sedilia
Atque arva visens, cuncta labantia
Aspecto passim, et vix opinor
Me tenuisse solum sacratum.

Undas ad æquor flumina vix ferunt,
Lymphis lutosis obstat arena nunc;
Nulli colono jam subactis
Carduus horret agris acutus.

A. Connell.

III.

Urbem quis nescit præclaram nomine Athenas,
  Splendoris veteris quæ monumenta tulit?
Arx erat Acropolis. Viridem quæ spectat Hymettum,
  Scyllei scopulos et Salaminis agros.
Attica cùm statuis tum templis marmoris albi
  Nobilis, insignes arte fuere viri.
Cum populus fuit incorruptus crimine pravo,
  Musarum nutrix laude decora fuit.
Sed quam mutati mores, quam tabida terra!
  Tam triste exitium pingere Musa vetat.

Jacobus Watson, *Ætat.* 13.

ROSA.

I.

Laurum virentem laudibus efferant,
Pars lilium album, pars violas ament,
    Arridet at cordi poetæ,
        Flos Veneri sacer et rubescens.

Princeps honorum tu, Rosa, fertilis
Horti, salubrem projicis halitum;
    Et frondibus spinisque tecta,
        Germinibus radias decoris.

Ver quando lætum Lucifer aureus
Orbi reduxit, purpureis comis
Amicta, florescis, recludens
Gaudia. Sed simul ac Apollo

Descendit undis, tum tua deficit
Dulcis venustas. Quàm similis, labans
Infausta, mortali caduco,
Qui fragilis perit usque ab ortu!

T. M'Crie.

II.

Primo benignum cùm nive candidâ
Ver arva solvit, frondibus et novis
Vestitur arbos, et Favonî
Mitior aura venit sereni;

Fecunda rumpis tu, Rosa, germina,
Implens Sabæis aëra odoribus;
Et caulibus, regina florum,
Conspicienda sedes superbis.

Aurora ponto surgit ut humida,
Fundens odores, flore novo viges;
At sole procumbis cadente,
Spinaque sola manet relicta.

Fuco refulgens gloria disperit
Mendace, splendor, sic, et honos perit;
Sic nominis fulgor caduci,
Condita mole domusque vastâ.

Et sæpe, formâ non patefactâ adhuc,
Marces acerbâ lecta manu, rosa:
Est tale letho fatum ademptæ
Præcipiti ante diem juventæ.

Sed quanquam honores gloriaque interit,
Immota virtus, fine carens, manet;
Brumæque consistit procellis,
Fata piique levat suprema.

Jo. Campbell.

TERRÆ MOTÙS.

I.

Manu Gigantis pulsa, tremiscere
Cœpêre tellus et juga montium,
Cælumque denseri, et procellam
Axis aquæ minitantur atram.

Pontus recessit longè, trementibus
Nautis, in unum seque recolligit;
Tandemque descendit per actam,
Monte maris meditante mortem:

Portusque texit; mœnia vertice
Scandit, replentur fluctibus omnia;
Et cuncta verrêrunt ab arvis
Flumina aquæ rapidè ruentis.

Absorpta sævo est gurgite civitas;
Gaudent profundi Numina: At unicum,
Qui restat infelix, Phaselus
Excidio capit alma tanto.

GUL. MENZIES.

II.

SACRATA Patri nunc aderat dies
Æterno, et omnes limina Numinis
Augusta, conventu petebant:
Spes patriæ juvenes, senesque

Ætate fracti, pignora caraque
Matres ferentes: Ac penetralia
Jam sanctus intrârat sacerdos,
Inque preces Dominum vocabat:

Auditur ingens undique stridor, et
Turbata tellus intremit; arduis
Sustenta delubri columnis
Incipiunt titubare tecta.

Tunc quisque surgit, pectora palpitant
Horrore tristi; dumque ruit domus,
Erepta præsenti periclo
Pars fugit; obruitur ruinis

Pars major; et certè illa beatior!
Nam quæ supersunt relliquiæ manent
Plorare dilectos amicos,
Quos rapuêre inopina fata.

D. K. Sandford.

III.

"Fidens juventus horrida brachiis,"
Tentavit audax jungere dexterâ
Immane certamen nefandâ,
Cum domino reliquisque divis.

Vindex at altis dejicit impios
Regnis, et ultor terrigenam manum
Oppressit, immensæ parentis
Pondere terribili gementem.

Hinc cum revolvit pondere corpora
Defessa terræ, tunc trepidat solum,
Auditur explosum tonitru,
Æthere cæruleo remissum.

Montes tremiscunt, sylvaque concutit
Frondes opacas, vaticinans malum,
Pontusque ventosus recedit
Littora cum sonitu relinquens.

Et terra fauces tunc aperit feras,
Monstrans abyssum terrificam viris,
Gentesque clamantes hiatu
Haud miserans penitus recondit.

E. Pinkerton.

SOL ORBE LUCIDO POST DIEM TURBIDAM OCCIDIT.

I.

Turbido cælo ruit, en! procella
Sæva, diffindit nebulas coruscum
Fulmen, albescit tumidisque vento
Fluctibus æquor.

Occulunt solis faciem tenebræ:
At simul cælo fugiunt, relucet,
Et caput tandem roseis serenum
Condit in undis.

Sic, ubi vitæ hìc hiemale tempus
Egero, soli similis cadenti
Lucido, sidam Patris in fidele
Pectus amati.

JO. NEWTON.

II.

ASPICE quà cælo ex alto sævus ruit imber,
Et fulmen rapidum findit utrumque polum.
Fert validos secum tauros tenerasque capellas,
Pastorem servant carmina neve bona.
At cum præteriit, nec possit lædere quenquam,
Fugerunt liquido nubila cuncta polo.
Aspice quà fulgens Phœbus nunc fundit amœnum
Splendorem, et radiis ut micat omne dium.
O animam reddam tranquillus, sic, et amatus!
Cum vitam exegi, deficioque manu.
Et similis soli cedenti nocte quietâ,
In vitam, dabitur quæ sine fine, volem.

T. S. GOLDIE. *Ætat.* 14.

TEMPESTAS HIBERNA.

Venti consurgunt; Eurus Zephyrusque Notusque,
Nereïdumque parens æquora vasta ciet;
Præcipitesque cadunt imbres ex æthere toto,
Terraque Rhipæâ sub nive tecta latet.
O si nunc aliquis per inhospita tesqua pererrat,
Indigus et perfert fœda pericla viæ,
Cum diro et longo venti certamine pugnent,
Imbribus et crebris effluit omnis ager;
Ad me tu venias qui ignota ad littora pergis,
Invenies mecum præbita multa Deo.
Namque ego non tantùm fruges consumere natus;
Civibus at miseris pandere tecta juvat.

Jacobus Welsh, *Ætat.* 12.

Valedictio.

Jam nunc incipiunt arvis flavescere lætis
Frumenta, et dulces parturit arbor opes:
Tempus adest, Socii,—quos æstas sexta laborum
Participes mecum lætitiæque videt,—
Tempus adest propiùs, quo vos diversa tenebunt,
Quo linquenda estis, pectora chara, mihi.
Vos igitur primi, dulces, valeatis, amici,
Non spectandi oculis forte, valete, meis!

Non tamen ex animo tollent oblivia nostro ;
  Olim pulsabunt nomina vestra sinum.
Vosque valete, meam quæ primam aluêre juventam
  Mœnia, nunc ætas quà puerilis abît :
Vos linquenda etiam ;—sed quamvis corpore distem,
  Et liquidi intersint cærula vasta maris,
Per varios casus, per cuncta pericula vitæ,
  Hunc memori semper mente tenebo locum,
Quà meus ingenuas animus primùm inbibit artes,
  Excipiens veterum gaudia multa libris :
Quà primùm sese studiis intendit honestis
  Ætates quæ omnes, tempora cuncta, juvant ;
Præcipuè decorant quæ res ornantque secundas,
  Auxilium adversis, perfugiumque ferunt.
Tuque vale postremùm, animos qui rebus honestis
  Formâsti teneros, alter et ipse parens !
Doctrinæque viâ fortes perstare citâsti,
  Sistere nec mediâ, deficiente pede ;
Temporis, intenti studii, assiduique laboris
  Prodigus, haud ullâ victus inerte morâ !
Quod me juvisti, manet altâ mente repostum ;
  Semper ego nomen gratus amabo tuum.
Si quid commerui, tibi me debere fatebor
  Quicquid adhuc laudis, quàm minimumque scio !
Forsitan aut olim, quodam si digner honore,
  Certè oblita tui non erit illa dies !



Jo. Campbell.

ERRATA.

Pag. 24. *ver.* 21. *pro* mœstas *lege* mœstos
—— 28. — 18. *pro* Queis detrectatis *lege* Quæ si tollantur,
—— 56. — 3. *pro* damnantur *lege* dominantur
—— 67. — 4. *ult. pro* mensura *lege* mansura
—— 100. — 6. *pro* vicit. *lege* vicit,
—— 108. — 3. *pro* Acropolis. Viridem *l.* Acropolis, viridem
—— 115. — 7. *pro* pugnent *lege* pugnant



